

## Werk

**Label:** Chapter

**Jahr:** 1923

**PURL:** [https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?251726223\\_0011|log24](https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?251726223_0011|log24)

## Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.  
SUB Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen

✉ [info@digizeitschriften.de](mailto:info@digizeitschriften.de)

125.

(124).

Ecce, amicissime Gesnere, pro ill. Pontedera Enumerationum specimen, quae pene omnia vendita sunt. Mallem libris Italicis, quorum catalogum habet collega ejus ill. Morgagnus, compensari quam nummis.

Misi etiam ante aliquot septimanas varia, inter quae fuerunt errore aliquo meo quaedam aliena, in primis fasciculus VI. et diss. Castelli<sup>1)</sup>, quas Morgagno destinaveram. Tu si cupis retinere, poteris, et alia specimina ex nundinis jubebo mitti Tigurum. Si mavis exspectare, posses in fasciculum conjicere. Obruor negotiis fere futilibus innumeris, nempe hominum saepe parum notorum sodaliciis.

Inter octiduum nostrae prefecturae distribuentur. Sors decidet num aliqua mihi destinata sit, num sit Gottingam redeundum.

Vaudensem ditionem aveo pro aliquot certe septimanis mense Majo adire, an successurum sit destinatum iter ignoro.

Nuptiae filiae meae fuerunt die 29 Martii, qua die Bernam perveni.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 18 April. 1753.

His scriptis exspectavi eventum diei 20. April., qua per sortem officia hic distribuuntur. Et is eventus fuit ejusmodi, ut Ammani honorificum munus<sup>2)</sup> mihi inter 34 candidatos contigerit, cum quo nominandi jus conjunctum est, quo ipso secunda natu filia generum futurum dotabit. Atque adeo post unicum Gottingam susceptum iter in patria porro et vicinia Tua manebo, dabitque forte sors ut Koenigsfeldae vel alibi in vicinia Tua praefecturam sperare liceat. Oedero omnia erunt recte per Hamburgummittenda, cum ego nimis sero hinc sim abiturus. Wielandi libellum gratum erit legisse.

---

1) Peter Castell, Experimenta quibus constitit varias humani corporis partes sentiendi facultate carere. Gott. 1753. BA II, 492.

2) Die vierte Stelle unter den Staatsbedienten der Republik. Zimmermann 348. Der Ammann war Saalinspektor und Stimmenzähler im Großen Rat.

Stirpes nostras nunc etiam persequar atque corollaria collegam enumerationis.

Schedas ad perficiendum catalogum addidi.

Iterum vale, amice singularis. Bernae die 30 april 1753.

Nunc cum scriptum acceperim, mihi mitte quaedam una, fasciculum tamdiu retinui.

126.

(125).

Amice facis et perhumaniter, Gesnere amplissime, quod aliquod rerum mearum momentum Tecum esse voluisti. Sunt bona mista malis. Relinquo musarum sedem, atque obvolvo me negotiis ad rem publicam pertinentibus, cum quibus non consuevi, et quae nihil meis in literis profectibus addunt. Verum taedia plurima passus Gottingae, a Brendelio inprimis, deinde a Segnero, denique a collegis medicis omnibus, deinde obrutus laboribus, absque quibus vita mihi neque decora fuisse neque tuta omnino, malui omnia deserere, ut pacem quietemque retinerem. Amicos hic habeo aliquos, inimicum neminem, neque aemulorum invidiam moveo turbae inimistus.

Ita est, plantae mihi porro erunt solatio et oblectamento. Percurram, ut ea aetate curritur, regiones calidores ditionis nostrae, inque iis praefecturam obtinere conabor. In libris etiam legendis et censendis, inque promovendis apud nostrates studiis porro serio elaborabo. Et forte optabilius est integris hactenus viribus et cum aliquo Gottingensium desiderio de statione decidere, quam fractum aetate atque invisum ob debiliora studia domum repere, ad meorum funera et sepulchra.

Compendium enumerationis valde castigatum facile esset edere, non majus horti catalogo. Oporteret autem in primis muscis et fungis augendis invigilare, quae pene deserui, ab anatome obrutus. Oporteret etiam colligere aristas Gagnebinii et aliorum botanophilorum. Filium destinabam Alpibus invisendis, nunc neque nummos facile suppedito, neque credo me porro cum reditu mediocre posse servare, adeo haec mutatio omnes res meas turbavit. Gormilarum clar., qui ad me scripsit et semina misit Manettiana, quaeso meo nomine saluta. Engelius<sup>1)</sup> et ipse anthophilis propior est, neque video qui stirpes sit culturus, quando praefectura decesserit, quod fiet proximo vere.

Schinzio<sup>2)</sup> gratum erit inservire. Hahnins<sup>3)</sup> Ultrajectinus

1) Samuel Engel, Landvogt in Aarberg.

2) Salomon Schinz (1734—1784), Schüler Gesners, der eine Alpenreise vorhatte.

3) Joh. David Hahn (1729—1784), 1753 Professor der Philosophie, Physik

credo nunc in primis inter academicos plantas colit, tum Ludwigi, sed iste variis distractus laboribus. Aliud exemplum VI. fasciculi Morgagno mittam. De pretio quaeso noli verba facere.

Wielandi panegyricum legi, laetus ex gaudio quod inde Bodmero nostro credo natum esse. Habet utique hoc poema<sup>1)</sup> plurimas pulcherrimas rerum imagines et descriptiones, mihique etsi passim humilius est, tamen gravius rebus quam Messias videtur. Nuperum scriptum Koenigii non vidi.

Mylius 1000 aut nescio quot imperiales Gottingae accepit. Inde nihil de eo innotuit. Ajunt carceri esse mancipatum in ditione Borussica ob lites quibus se immiscuit E. et Koenigii. Trecentos imperiales adhuc apud Holmannum deposui. Nuntium unicum aeger exspecto.

Disputationes serius acceptas Tibi aliqua cum opportunitate curabo, valde motus interim portentoso Tuo Ranunculo, neque praevidens quo haec sint ductura.

A ministro Hanoverano responsorias exspecto, neque valde cupio Gottingam redire, ne aliqua mihi mora fiat. Itaque si per uxorem poterit res imponi, mallem utique. Abibit vero uxor aut sola aut mecum intra paucos dies. Si hic manere datum fuerit, rusticabo alicubi plantasque quaeram cum amicorum aliquo feriis usus. Italiam etiam cum aliquo senatorum et legatorum adibo.

Vale, Gesnere amplissime, meque porro ut soles ama. Bernae die 31 Mai 1753.

## 127.

(126).

Gratum Tibi, vir optime, redditum meum esse ex Tuis percepisti. Fixi nunc pedem hieque inter amicos et filios moriar. Uxor mea iter Gottingense suscepit comite meo olim Zimmermanno, et nunc dum scribo in ea urbe est. Invidia inde me pellit medicorum, Brendelii in primis deinde reliquorum, tum inter i<uris> c<onsultos> Boehmeri<sup>2)</sup>: Multa mihi commoda interciderunt, verum patienter ea sors ferenda est. Stirpes non negligam, et nuper alias elegantes cives reperi, Erysimum alterum (cornubus longis nec appressis, flore sulfureo), Thalictrum staminibus purpureis, Aruncum, Calceolum, hic in vicinia, et Ariam. Itinera passim ad amicos moliar, quae infecunda non fore spero. Portatile compendium<sup>3)</sup>, si Tu aliique amici consentitis,

und Astronomie in Utrecht. 1759 übernahm er auch die Botanik und Chemie. Gurlt-Hirsch III, 17.

1) Das Lehrgedicht „Von der Natur der Dinge“.

2) Georg Ludwig Böhmer (1715–1797), Professor an der juristischen Fakultät. Pütter I, 137; II, 122; III, 62.

3) der Flora.

facile parabo. Magnus amicus mihi est idemque ex propiori cognatione Engelius.

De Mylio nuper percepni eum ad vitandos Borussos petere Angliam\*). Targonium exspecto et Montium. De nummis quaesisis securus, multa enim Tibi debebo remotus ab omnibus fere amicis reliquis, Beurero<sup>1)</sup> excepto. Rehtylio misi varia, nummos non accepi, neque de rebus acceptis nuncium. Ill. Pontedera apud Morgagnum et Valisnerum, sodales suos, inveniet catalogum librorum desideratorum, quem pro omnibus nummis facile praetulero. Exspecto conflictus aliquos cum Gottingensibus et ministro. Eos ut vitarem, nolui redire in eam academiam. Valde nocent valetudini meae hae turbae, nolleisque porro iis implicari.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 20. Jun. 1753.

128.

(127.)

Quae Beurerus scripsit, care amice, ea Tuae literae confirmarunt, se nempe blandiri, promittere, fingere animum pacis amantem, et tamen horum omnium contraria sentire. Nihil indigebat arbitris. Ego totus ipse eum literis adii, ut desisteret ab iris et inutilibus moliminiibus. Ipse contra me propriam de ortu nervi intercostalis epistolam edidit, quam ego non recenseri quidem malui, ne ipse se crederet refutari. Mekelius autem necessario ad hanc inquisitionem deductus, figmenta S<chmiedel>ii transformantis in nervulis cellulosa fila facile detexit, et eo nunquam nominato nec designato indicavit. A Trewio centies rogatus ne adeo manifesto meum nomen omittaret, nunquam respondit votis, et invidiae suaee majus dedit documentum quam quisquam refutatorum. Itaque eum animo suo dimitto, nihilque ab eo porro aequi aut virilis exspecto.

Ministri humanissimae literae nuper acceptae, et amor literarum, quas hic dedisco, pene impulerunt animum, ut mutato consilio Gottingam repetam, certe post unum alterumve annum. Veram vacillo adhuc et exspecto magis urgentem adhuc voluntatem viri optimi. Ocum inanemque vitam aegerrime fero. Neque plantis quaerendis satis sufficio, gravis non annis sed corpore tumidisque pedibus. Et tamen conabor me expedire, ut itineribus susceptis utcunque de flora patria merear. Nunc in revidendis legibus physicorum adhibeo. Fateor autem, non satis hactenus rerum publi-

---

\*) Mylius vehementer a me petit ut curam itineris ipsius servarem. Itaque adnui quod nummos adtinet et nova mittenda, fasciculos alicubi deponi necesse est.

---

1) Johann Ambrosius Beurer, Apotheker und Botaniker in Nürnberg, gest. 1754. Ischer, 1905, 170.

carum lentorem et invidiosorum hominum feras fero, aliis adsuetus moribus. Libros Italos avide exspecto. Uxor mea Gottingam advenit et libros jam aliquos misit. Sumtus magni erunt et fere nimii.

Langhansius noster<sup>1)</sup> nuper libellum de paedanchone Bernensium Alpium edidit, quae saevit a. 1752 exeunte, et quam nunc adjunt Thunae recrudescere. Aliqua de societate erudita cepimus agitare amico Tuo praeside conditura. Verum haec remota hactenus sunt et hic incertissima, quod praefecture optime animatos avocant.

Vale cum gen. uxore nosque ut soles ama. Bernae die 4 Jul. 1753.

129.

(128).

Ita est, nihil potest humanius cogitari quam Munchhausius, ut nuperas per epistolas patuit. Interim redeunt paulatim libri, et familia, si res meo arbitrio gereretur, dudum rediisset in partiam. Praesidis munere porro ut videtur erit mihi fungendum<sup>2)</sup>.

Proxima septimana montes inpositos lacui Brienzensi adibo jussu senatus. Ajunt ibi fontem salsum detectum esse, et salem adtulerunt ibi ortum duabus supra Habkern leucis et quinque supra Interlachen<sup>3)</sup>. Salem si non invenero, herbae certe non deerunt loco humido et praecipiti. Utinam juvenilis in artubus levitas superesset.

Targionii itinera et reliqui libri gratissimi mihi fuerunt, fasciculum etiam Norimbergensem adtulit Sauermannius. Ramspeckius plantas ut spero adferet. Valetudinem reparatam ex animo Tibi gratulor.

Stirpes si quae, vel loci etiam natales rariorum Tibi praesto sunt, quae so mitte, magno futuras emolumento in ea quam inponis mihi epitome de stirpibus Helveticis.

Utile credo foret iter Scheuchzeri a. 1709, de Jacobo minor mea spes est.

Resaluta ea quam debeo humilitate magnificentum Aescherum, cui plurimum debeo.

Intra paucas horas mihi abeundum est. Iter in universum erit dierum 13. Vale et me ut soles ama. Bernae die 4. Aug. 1753.

1) Daniel Langhans (1727—1813), „chirurgus nunc (1773) Bernensis et poliater.“ (BA II, 420): Beschreibung verschiedener Merkwürdigkeiten des Siementals nebst einem genauen Bericht über eine neue ansteckende Krankheit die in diesem Lande entstanden, Zürich 1753.

2) Haller blieb Präsident der K. Gesellschaft der Wissenschaften und bezog eine ansehnliche Pension.

3) Haller reiste mit Sigismund Wytttenbach. Eine Salzquelle fanden sie nicht, sondern es stellte sich heraus, daß die ganze Sache Betrug eines Bauern war, der ein „gemeines Wasser mit Potasche verfälscht habe.“ Zimmermann 354 f.

Mylius in Anglia moratur. Scripsi ad Holmannum, ut ipsi  
200 impp. submittat.

130.

(129).

Plantas, amplissime et amicissime Gesnere, tamen aliquas in itinere meo reperi, Sveertiam, Gentianam flore purpureo, f. Asclepiadis, Lycopodium tetragonum, Rhamnoides, alias. Sed valde aveo particeps fieri catalogi stirpium a Cl. Schinzio aliisque lectorum. Ad Ramspeckium ea de re scripsi.

Libri mei nondum quidem omnes expediti sunt, pleraque tamen Bernam advenerunt, inque iis ordinandis unice nunc occupor. Proximo anno et Alpinum iter meditor cum Cl. Simmero, Interlacensi praefecto, et alind ad salsos fontes Bactiacenses, quo studebo ut publice mittar. Valetudine utor satis commoda, unice gravis factus aegrius montes conscendo. Tua ut confirmetur ex intimo animo opto.

Orchis<sup>1)</sup> quam dicas mihi ignota est. Viscaginem<sup>1)</sup> quam dicas averem videre, sed in primis Nardum Celticam. Gramen pennatum copiose Jenae in arcibus dirutis provenit.

Cl. Commerson<sup>2)</sup> ex monte Eperon, Monspelii finitimo, stirpes misit pulchre conservatas, aliquas etiam adtulit discipulus meus D. Ith.<sup>3)</sup> Majori quam unquam studio hanc partem artis meae colam exclusus ab anatome.

Doleo quod Cl. Bodmerus sculptori praeesse detrectet. Ego quidem nullo modo possum in me ipso laudando versari.

Mittam ad Te proxime pro optimo Morgagno varia, aliqua etiam Tibi, clarissime amice, destinata, sed pauca ea, uti nunc sum ab academiis remotus. Icones anatomicae, fasciculi VII. et VIII., paulatim sculptae adveniant, quas suo tempore mittam, sermonem addam hac hyeme.

Nova mihi lis cum Schmiedelio nata est<sup>4)</sup>. Displiebant aliqua et mihi et Tibi pariter in editione Gesnerianorum posthumorum. De eo meo judicio verbula mihi exciderant ad Beurerum. Innotuerunt Trewio, rogatus sum ne vellem hoc judicium publicum reddi. Ego facile consensi, scripsi ad Michaelium, ne ederet, donec

1) Epist. III, 414.

2) Philibert Commerson (1727—1773), französischer Naturforscher, studierte in Montpellier, wo er 1755 zum Dr. med. promovierte. Auf Linnés Anraten erforschte er die Mittelmearfische. 1766 nahm er an der Expedition Bougainvilles teil und blieb auf der Ile de France bis zu seinem Tode. Nouv. Biogr. Gén. XI, 345.

3) Von 1756 an Berner Stadtphysicus.

4) Haller rezessierte Schmiedels Gesnerbiographie in den G. G. A. 1753, 932 ff.

ulteriora de me rescivisset. Iste partim penuria rerum edendarum, partim confusione quae ex meo successu nata est abreptus tamen edidit. Quid sonet id judicium nescio, neque vidi. Beurerus mecum conquestus est de editione. Ego respondi invito me id factum esse, et demonstraturum me invito id esse factum ipsis Michaelii literis. Trewius rogavit Schmiedelium ut interim quiesceret. Et tamen is asperrime, ut semper est solitus, respondit in novis Erlangensibus atque iis modis, ut non possim non aliqua regerere, quam primum meum judicium videro, quod editum est, folium autem ad me nondum missum.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bernae die 10 Oct. 1753.

131.

(130).

Post meas, amicissime et amplissime Gesnere, accepi continuo aliam epistolam Tuam diei 13. Oct., ad quam nunc demum respondeo, quod ob varia obstacula heri demum potuerim mittere Tibi fasciculum rerum mearum Tibi et Morgagno destinatum. Si potes efficerre ut ill. Pontedera has literas accipiat, gratam etiam rem efficies. Plantae mihi erunt exspectatissimae. Oblitus sum mittere Enumer. horti pro Cl. Seguier. Verum certo supplebo.

Ego nunc ad mea studia redii. Secui agnum cyclopem oesophago valde difformiter structo. Varia pro Gottingensibus elaboravi. Nunc versor in parando fasciculo VII et VIII iconum: describuntur vasa intercostalia, lumbaria, oculi, cerebri et medullae spinalis. Ea omnia protinus expediam. Incepi etiam typis committere fasciculum disputationum chirurgicarum<sup>1)</sup>. Otium habeo, doleo autem me a theatro et a commercio librorum et epistoliarum nunc remotiorem vivere. Cum autem sperem non longe abesse praefecturam, sex annos nanciscar integros, quos potero fere unice dare elaborandae Physiologiae et Bibliothecae medicae.

Nova vix vidi. Cl. Beurerus, cuius vide de mente atroci et petulanti Schmiedelii epistolam, mittet aliqua, quae ubi acceperis, poteris continuo dare currui publico. Nondum accepi nova lit. Gottingensia, quae tantae ferocitati sunt pro praetextu. Nunquam vero solitus sum offendere quemquam.

Res publica nostra ob mortem consulis de Wattenwil<sup>2)</sup>, quae proxime exspectatur, tota in fermento est. Buffonum etiam edito quarto volumine sui operis audio mortuum esse<sup>3)</sup>.

1) Die Collectio disputationum chirurgicarum erschien 1755 in Lausanne.

2) Carl Emanuel von Wattenwil war 1749 Schultheiß der Stadt Bern geworden. Leu XIX, 212.

3) Ein falsches Gerücht. Buffon starb am 16. April 1788.

Atque ita vale cum gen. uxore meque porro ut soles ama.  
Bernae die 10. Nov. 1753.

132.

(131).

Fasciculum, amplissime et celeberrime Gesnere, recte a Te accepi, missurus proxime alium pro Beurero, quo nonnulla testacea continentur. Ero certe in futurum pene inutilis amicus. Nam Gottingae discipuli mei praeter paucos nunc nulli sunt, ipse etiam post meos fasciculos parum scribam librorum, nisi Physiologiam velis, in qua longus erit labor. Quare ut a Tua bonitate sublever in rebus meis promovendis, esset quod rogem. Disputationes tamen chirurgicas sub prelum dedi.

Catalogus valde a me desideratur. A Ramspeckio spero communicationem stirpium, ipse nunc meas nugas Gottinga exspecto.

Morickoferus<sup>1)</sup> aliud emblema praefert, a Buxtorfio excogitatum. Clam adreor hominem modestum et timidum nolle figuras humanas tentare, multo difficiliores, quare nubibus librisque maluit vires tentare.

Nondum vidi quae Michaelius certe me invito edidit. Non credo quidquam molestum inesse, nisi quod desideraverim explicaciones tabularum. Ut responderit, nisi vidisti, hic lege, rogo autem ut remittas folium, ad quod erit respondendum. Quae inde scripsit Beurerus aequa aucta sunt. Ego abhorreo lites et tamen nequeo fugere. Multum autem nocet labor in judicandis libris, neque tamen eo me possum extricare.

Ludwigio terras aliquas misi.

Exstat utique folium Physiologiae majoris. Sed nescio ubi habitet in tanta rerum mearum confusione. Is porro mihi maximus labor erit, quamprimum me exsolvero fasciculis iconum.

Egregium nummum aureum accepi regis Daniae munus.

Linnaei Species etiam exspecto, et paulatim labore ut commercia librorum redintegrem.

Habeo fasciculum II. Amoenitatum Linnaei et possum si placet mittere. Non vero Musaeum Tessini. Buffonium credo male nunciavit mortuum Bousquetus, nihil enim legi simile in Mercurio Gallico ultimi mensis.

Ill. Morgagnus petit ut sua reddantur Bergami ad Andream Pastam Med. D. Item ait se misisse aliqua pro me ad Cl. Ottios, Tu quaeso cura ut huc mittantur. Multum debo his amplissimis viris, et quo possim me gratum ostendere non video.

1) Der in Bern lebende Frauenfelder Künstler J. M. Mörikofer verfertigte eine Medaille von Haller, die 1754 erschien.

Aloidis meliorem historiam dedit pro Actis vestris Zinnius. Nectararia sunt quae pro staminibus habet Bergenius, et planta ipsa sexu distincta est.

Faseiculi mei cum n. VIII. erunt finiti, et alioquin finiti fuissent. Olim forte sermonem in unum continuum textum conjiciam. Post hunc brevem laborem redibo ad Physiologiam, maturiores annos et deditos lectioni servabo Bibliothecae, ne absque lira et Musa consenescam.

Vale meque ut soles ama. Die 17. Nov. 1753.

133.

(132).

Mitto, amicissime et optime Gesnere, Gronovium et Kleinium, alii etiam Kleinii libelli proxime advenient.

Opuscula pathologica versus veris redditum absolvantur, nitide satis, quae ut habeas curabo. Disputationes chirurgicae paulo lentius procedunt ob tabulas quae a sculptore aegro Lugduni parantur. Centum tamen schedae et ultra excusae sunt.

Narravit nescio quis prodituram Petropoli historiam naturalem Sibiriae, Russico et Germanico sermone, a Mullero auctore. A Gmelino vereor ut unquam aliquid exspectari possit.

Multi erunt rivales, qui mecum Schenckenbergicam praefeturam ambibunt. Praecipuum mihi decus haberet a vicinia Tua. Perquam facile in primis in Thermis possemus convenire. Caeterum Bonmontii laudiores sunt redditus neque mali Grandisonii.

Pessima taedia mihi nascuntur ex jure nominandi. Incredibili ardore, furorem vocare posses, nostri in his rebus versantur, tamquam inhospita terra foret, nisi ducentumviris adscriberentur.

Engelius noster si rem familiarem consulet, dimittet plantas, quarum cura hic Bernae sane tristissima foret. Et certe non satis videtur in hoc studio initiatus, ut cum fructu stirpes colat. Gagnbinius plantas misit et lapides. Marmora varia nostratia passim collegi. Verum simplici fere numero exemplaria sunt flavi, carneo viridis (pulcherrimi), nigri puri etc. Verum ab hac hyeme nihil exspectari potest, adeo frequentes conventus senatus sunt et academicae etiam curae, deinde civiles coitiones. Repo in fasciculo VIII. et lentissime promoveo. Supplementum autem prioribus accedet, atque omnes nuperiores observationes addentur prioribus. Tabula quae deerat et nitide satis sculpta est.

A Thierry<sup>1)</sup> Hispanicas stirpes exspecto. Praealtam regionem

1) François Thierry (Thierry), gelehrter französischer Arzt; er war drei Jahre zwecks klimatologischer und medicó-geographischer Studien in Spanien und praktizierte dann in Paris. Gurlt-Hirsch V, 563.

Castiliae esse monet, et fere circa 25. 26° mercurium versari, in montes etiam se ascendisse Carpetanicos, ubi ad 21 subsederit. Medicinae statum non laudat.

Lavas Vesuvii exspecto Tecumque si placebunt communicabo.  
Muschenbrockii libellus eximius erit<sup>1)</sup>, cum dudum in magnete laboraverit vir clar.

Vale vir celeb. meque ut soles ama et hanc aliquos annos felix vive. Bernae die 1. Jan. 1754.

134.

(133).

Ecce quae presto erant disputationes Linnaeanae. Fasciculus quem exspectabam nunc, ut per literas ex Suecia didici, demum mari aperto adveniet, habebit Calmii iter et alia plurima. Etiam Linnaei species, quas tunc bis possidebo possimque, amice vir, servire.

Brachium lente convalescit et inter dolores non minimos. Equidem in osse nullum fracturae vestigium superest, verum deltoides, cuius nervi contusionem egregiam passi sunt, dolet et functionem renuit. Caeterum sic satis valeo.

Hahnii dissertationem accepi. Nihilne apud Orellios a Morgagno advenit, qui fasciculum mihi misit, mense credo Octobri?

Efficies procul dubio, quaecunque credis praestari posse cum Schmiedelio, et amicitiae Tuae haec omnia committo. Trewius in his minus potest, quia forte minus vult.

Mekelius perveniet suo tempore ad intercostalem nervum et certo satis me vindicabit. Verum id post aliquot demum annos continget, neque potest his in rebus properari, cum icones parare sit difficillimum. Beurerus Schmiedelianam<sup>2)</sup> nerv. VIII. misit, valde certe malam. Misit Ramspeckius plantas Orchidemque, quam nunquam certe videram. Habesne ejus characterem, nam in sicca non bene adparet? Reliquae satis notae sunt. Spero ego B. C. D. Interlakum glacialesque montes me petiturum, non absque fructu. Plantae a Te communicatae pergratae erunt, exspecto aliquas a Lidbekio botanico Ludensi<sup>3)</sup>. Praeter Parisinos libros nullos novos habeo, Buffonii IV. Tomum, Tarini duo opera<sup>4)</sup> etc., Sauvagesii mirificas theorias<sup>5)</sup>, magis passim vanas quam Hallei Negant nunc

1) In den Philosophical Transactions von 1725 war De viribus magneticis erschienen, 1734 Experiments made on the Indian magnetic sand. Poggendorff II, 247.

2) Schmiedels anatomische Arbeiten s. BA II, 352.

3) Eric Gustav Lidbeck, Professor in Lund. BB II, 412.

4) Pierre Tarin, Anatom in Paris. BA II, 424.

5) Pulsus et circulationis theoria. Monspel. 1752. BA II, 301.

arterias a corde motum habere. Negant pulsum fieri ab arteriae diastole, sed a systole minuta diametro transversa, aucta altera, et quae talia. Si aliqua erit opportunitas mittendi aliqua Mennetio, vellem mittere humano viro meam Enumerationem.

Löfflingius Americam petit<sup>1)</sup> et fluvium Amazonum adit. Lidebicus Lundini Leonorum integros agros conserit Croco, Iride Florentina aliisque officinarum stirpibus. Ita amici Sueci scripserunt. Popowitschius promittit mihi muscos Austriacos, quorum nomina petit.

Vale amicissime vir et amplissime meque ut soles ama. Die 16. Jan. 1754.

135.

(134).

Accepi, amplissime Gesnere, die 8. Febr. fasciculum Tuum; de ejus plantis fusius alias agam, nunc tantum cum plurima gratiarum actione ad literas Tuas responsurus. Occupor enim in absolvenda historia arteriarum oculi, quae propediem ad finem peracta est, et quam Gottingam oportet mittere. Icones Tuae coloribus vivis pictae pulcherrimae sunt, maxime Campanulae illius thrysiflorae. In Sweertia, quam nuper copiosam legi, et color paulo magis mihi cyaneus visus est, et nectaria paulo distinctiora quam a pictore factae sunt. Sed haec levia possunt haberi. — Scheuchzerianis mallem abstinueris, nimis enim eae sunt properatae, nisi forte raris plantae excusaret artificem. Characteres pulcherrime delineati sunt et commode sculpti, in primis si destinati fuerunt recipiendis coloribus. Unice vellem ut de receptione egregii libri securus laxares tabulas, neque nimis numerosis stirpibus cum parsimonia redderes obscuriores. Summe caeterum utile opus erit, nisi ipse Linnaeus suis perpetuis generum mutationibus prius aliquo antiquaverit quam Tu possis tantum ambitum implere. Colores equidem pulcherrime pro specimine illiti sunt. Verum in exoticis

1) Eine ergreifende Tragik waltet über dem Schicksal jener tapferen Schüler Linnés, die allen Gefahren einer damaligen Reise trotzend, in heller Begeisterung zur Erforschung fremder Länder auszogen und in der Blüte der Jahre den Tücken des Klimas und den Strapazen der Reise erlagen. So hatten drei Schüler, Ternstroem, Hasselquist und Forskal in Asien den Tod gefunden. Das vierte Opfer war Peter Löfing, der auf Linné's Empfehlung 1751 als königlicher Botaniker nach Spanien kam. Von dort wurde er 1755 zu einer Forschungreise nach Südamerika geschickt, wo er ein Jahr später im Alter von 27 Jahren starb. Linné gab 1758 seine Reisebeschreibung heraus. In den Amoenitt. Academ. Vol. VI. sagt er von ihm: „Nullus facile huic erat anteferendus, vel amore plantarum, vel solida eruditione Botanica, nullique similis occasio concessa fuit.“ S. Stöver, Leben des Ritters Carl von Linné, Hamburg 1792, I, 329 ff.

variis vix poterunt accurati esse. Tu vero urge opus, elegantissimum certe. Ego ut tamen aliquid conferam, proximo mense ex cassis stirpibus mittam quae credam ullo modo posse usui esse. De plantis Alpinis proxime, ubi accuratius fuero speculatus. Aliquae enim mihi in Helvetia novae, aliae penitus novae videntur, ut illa flore dracocephalon concelans Verticillata, de qua nondum conjecturam habeo. Una Ramspeckianas stirpes excutiam, quae etiam apud me nunc sunt, measque denique omnes, et pro amicis selegam quibus abundavero.

Basileenses etiam ad me scripserunt, etiam nimis occupatum. Fasciculo VII. nunc absoluto interponam alios nonnullos necessarios labores, tunc elaborabo dissertationem de sanguinis motu pro Commentariis Gottingensibus<sup>1)</sup>, et iter moliar aliquod, quando brachium concesserit aut in Thermas aut Alpinum. Valles sunt aliquae Gadenensis, Lauterbrunnensis, Gasterane, Adelbodensis, Simmentalensis et Sanensis, quas vellem adiissem teneris annis.

Praefecturam etiam quaeram ejusmodi, quae vel calido vel valde edito loco sit, Aquilegiensem, Noviodunensem aut similem aliquam. Ita conabor synopsin stirpium Helveticarum emendare, absolvere. In muscis laborabo, neque enim hac aetate ullo modo potero per frigora quaerere.

Linnaei Species<sup>2)</sup> penes me sunt, proxime lecturum. Jam video obstinato animo priores errores eum conservasse in Orchidibus, v. g. ubi illam spica conglomerata pergit totus monitus confundere cum ea cui petala caudata sunt, cum priori ut nosti ima sint obtusa aequaliter trifida, qualia palmatae calcaribus longis. Sic in aliis. Caeterum nomina sunt cum observationibus interspersis, ut solet alibi, et stirpes utique perquam multae. Forte in relationibus Gottingensibus latine fusius de iis agam. Valde me commenda excc. Vestris viris. Brachium pene in eodem statu est, os recte se habet, sed sedet in deltoide contuso profundus dolor, qui vetat elevare humerum et inhibet plurimos necessarios motus.

Mittam ubi permittes aliqua pro Manetto. Verum videris pro me nummos erogasse varios pro sumtibus, pro libris Targionii etc. Meas rationes reditus in patriam conturbavit, quare a Te enixe peto ut me doceas quantum sim in aere Tuo. Magnificum Musaeum Tessinianum rerum naturalium<sup>3)</sup> etiam accepi; si aves evolvere,

1) De motu sanguinis factorum experimentorum corollaria. Comm. T. IV.

2) Species plantarum, exhibentes plantas rite cognitas, ad genera relatas, cum differentiis, nomibus trivialibus, synonymis selectis, locis natalibus. Stockholm 1753. 2 vol. BB II, 251.

3) Linnés Beschreibung der Sammlung des Grafen Tessin. Stockh. 1753.

cum plantis et iconibus remittam. Succedet regis et reginae musaeum. Plurima ex Suecia exspecto, ubi mare apertum erit. Popowitschius mittit mihi muscos suos omnes. Grammaticus factus est.

Mylius scribit poenitere se atque paratum esse ad iter absolvendum. Verum quis fiderit homini adeo suarum et alienarum opum negligenti. Scripsi ut ostendat, qua ratione possit fiduciam reparare, quam merito suo amisit, et exspecto responsum.

Quinque fere menses sunt quod Morgagnus fasciculum ad Orellios Bergamum miserit. Forte hiems intercessit, quo minus advenirent. Ultima vice ero Vobis incommodus, nunc enim per Italos hic degentes specularios rem porro conficiam. Oederus de itinere cogitat in Norvegiam et de flora Danica edenda, cuius plantae singulae aere sculptae exstant.

Vale et me ut soles ama, cum gener. uxore. Bernae die 14 Febr. 1754.

136.

(135).

Dissertatio Schmiedelii<sup>1)</sup> aspera est, ut omnia quae solet scribere. Meckelius vero facile has injurias depellet. Icon sordida et manifestus testis parum mundae dissectionis, cum nervi omnes cellulositate quasi lacinii quibusdam appensis foedantur.

Plantas accepi iconesque. Has denuo consideravi, optime placuit tabula Siliquosarum, quia paulum minus plena est; Campanulaceae enim vehementer turgent quasi figuris. In majoribus figuris sculptor nimium usus aqua stygia minus placet quam in minoribus; majores enim volunt scalpeo perfici, ut lineae diversam pro re rata crassitatem adquirant. Delineationes per pulchrae sunt.

Stirpium catalogum inivi. Valde rarae intercedunt: Papaver quod crediderim esse Cambobritanicum, Tu rectius dixeris, Spica celtica, Stoebe, Geum vestras, Genista tinctoria major Lusitanica, Absinthium ex Beverin, Pirola uniflora, quam etiam reperit Cl. Ramspek. Didynamiam illam folio erecto serrato, flore ampio purpureo clauso, nunc non adgnosco, et forte nova est, aut certe in nostris oris non reperta. Comparabo autem scriptores ad finum regionum. Credisne Aquilegiam vere diversam esse? Ob folia linearia magis. Omnia caeterum valde convenient.

Caeterum plantas quas permittes et iconum sculptarum aliquas servabo, reliqua et pictos icones cum novis Gottingensibus propediem remittam.

Editor ni fallor Norimbergae invenietur. Centies certe fa-

---

1) Wahrscheinlich „De nervo intercostali“. 1754. 4. BA II, 352.

cilius haec vendentur, quam recusae illae stirpes M... aut magnificae Decades T<rewii>. Colores etiam ibi facilius imprimentur nonnullis exemplaribus: et ibi enim feminae et pueri hanc artem callent. Esset autem programma praemittendum cum operis schemate. Subscriptiones rarius ob taedia conjuncta locum inveniunt.

Post nuperas scripsit Reaumurius<sup>1)</sup>, et de Gautierii incerta atque praecepit arte observandi monuit. Buffonique etiam opus ait contractum iri sequentibus. Musaeum Tessini legi, credo Linnaei opus. Pergit sales addere crystallis. In plantis etiam video aeterna in sua pertinacia pergere, ut v. g. Orchidem petalis caudatis et O. conglomeratam Dill., tum Muscifloram et Fucifloram conjugat. Plurimas nunc retulit ad Ophrydem. Ego in hac classe paucas statuo species, eucullo biloculari s. Orchidem scapo solidum cum 2 plerumque quasi in forcipe maxillis, quas inter apex est s. anthera; haec erit Ophrys et Helleborine; antheris duabus distinctis est Calceolus, plures species mihi non innotuerunt. A calcari non debent genera sumi, uti hic in Antirrhino, intercedit Limodorum, simillimum Helleborinae, et calcaria per gradus breviora, denique nulla Orchidum, tum quae inter testiculatas et palmatas reperi contra calcare et donatae et destitutae. Occupor nunc in Ram-speckii plantis et aliqua sub finem addam de ejus Orchide, quae utique est Buxbaumiana illa, a mea diversa longa spica, flore minore, Stipulae habitu, nam flos satis similis est. Nunc maxime fasciculum VII. finivi, ero aliquamdiu inter plantas siccas meas, tunc redibo ad fasciculum VIII.

Omnino genuinus videtur Ranunculus bellidiflorus. Mira omnino res et vix explicabilis. Vale vir ampl. meque porro ut soles ama. Bernae die 21 Febr. 1754.

## 137.

(136).

Remisi Tibi, amplissime et amicissime Gesnere, quae humaniter communicaveras mecum, tomum ultimum disputationum botanicarum, in quibus est ea Linnaeana, quam videris desiderare. Fasciculum Manetto aliqua opportunitate curabis. Risleri dissertationem<sup>2)</sup> non satis intelligo. Non vedit Verbascum vulgatiss. staminibus purpureis, habet aliud mihi penitus ignotum. Quod flore magno, id simillimum vulgaris latifolii, in Cellensibus arenosis frequens est, subtiliter ab eo distinctum. Icon Celsiae non bona est.

1) René Antoine Ferchault Seigneur de Réaumur, des Anles et de la Bermondière (1683—1757), hatte die Rechte studiert, wandte sich aber der Technik zu. 1708 Mitglied der französischen Akademie der Wissenschaften.

2) Jakob Risler, De verbasco. Argentor. 1754. 4. BB II, 440.

Non facile crediderim defecturum Tibi bibliopolam, possetque etiam nunc res per amicos praeparari. Facillimos se praebebunt, si opus perfectum demum reddendum fuerit. Nam T<sup>r</sup>e-wius noster, caeterum vir praestantissimus, ad despera<sup>tio</sup>nem fere eos homines redigit incipiendo opera quae nunquam finiret. Monueram Haidium<sup>1)</sup>, nunc opus jacet. Blackwalliam nisi perficeret Ludwigius, perinde se haberet. Si vero posses eos homines certos reddere sumtus tunc demum facturos, quando absolutum opus fuerit, certe nisi fuerint penitus enummes, suscipient, qui tot meras excriptiones et difficile venditu opus Gesnerianum suscepereunt, quod solis curiosis natum est, et ut video ex tabula colorata nunquam ita prodibit, quin lacunae et dubia et spuriae species supersint. Biennium brevis est terminus, posset etiam nunc contrahi. Velle autem in hoc opus quidquam misceres praeter characteres, ut sit scholasticum opus, ea enim optime venduntur. Inescati bono redditu bibliopolae eo absoluto facile se praebebunt ad icones stirpium ipsarum per schedas edendas ut solent Noribergae. Nolo Tecum de Linnaeo litigare, et res mitigatur adsumtis 9 classibus naturalibus. Verum praeceps et mutabilis homo plurima genera mutavit, et continuo mutat, ut vix possis quidquam dare, quin interim sententiam ille innovet. Omnia autem mea semper Tibi parata erunt, libri, plantae, amici. Nunc totus demissus sum in stirpibus siccis, quas in ordinem redigo, ut meas suppleam; seligam quae credam Tibi usui fore, non erunt autem multa.

Ramspeckius erravit: dedit Rhamnum vulgarem pro inermi glabro, vellem possit is pudor ab eo averti.

Salices Seguierii conferam, omnia autem gero quodam ordine, ut omnes Salices una comparem. Habeo plurimas Berolinenses, summa est difficultas, cum multae calvescant per aetatem, acavicularis aut habeant aut non habeant etc.

Nummum mea imagine signatum primo fasciculo addam, qui nunc propediem excudetur.

Brachium certe valde incommodum est. Dolor acer est in elevatione variisque motibus, qui sustentationem aliquam requirant. Itaque vivo ut mancus aut paulo deterius, nam mancus non dolet. Varia tamen ad flexionem pertinentia facile praesto. Paulatim malum sed lente remittit.

Nihil mitte pro Mylio, ea res fervet, et tempori monebo, si poterit in motum cieri. Oedero quae mittere vis mihi mitte, cu-

---

1) Der Kupferstecher Joh. Jakob Haid (1707—1767), der in Augsburg einen Kunstverlag hatte. Füssli, Allgem. Künstlerlexikon I, 308.

rabo: nam frequentes fasciculos mitto Gottingam. Ipse nunc quidem nuptiis indulget. Redibit autem ad opus et Norvegiam peragrabit, ut plantas conquirat.

Videtur Astragalus meus Helveticus esse merum Hedysarum. Ego nunquam adeptus eram satis maturum fructum qualem nunc misisti, neque possidebam Hedysari bonum exemplar.

Vale vir ampliss. et porro cum generosa uxore feliciter age et me ama. Bernae die 28 Febr. 1754.

138.

(137).

Si velles, Gesnere clarissime, additis foliis mittere Marsilii Cagnati varias observationes<sup>1)</sup> et Bonae dell' utilita del salasso<sup>2)</sup>, gratum faceres. Si posteriori nolles carere, possem tamen etiam lecto perficere. Stirpes proxime remittam, quas mihi commodasti et reliquas. Si quid ex Suecia adveniet (mense forte Majo), continuo submittam. Horminum Pyren. mihi non est notum.

Accepi hodie Berolino avium magnam partem, quas Frischius edit<sup>3)</sup>, tum novum tomum Commentariorum Berolinensium et finem operis Neumanniani<sup>4)</sup>, Parisiis a. tomum 1749 acad. scient. et aliqua alia. Est etiam Genevae homo nomine Bardin, qui rariusculos libros compactos habet, medicos tamen inprimis.

Brachium lente sed tamen convalescit. Rusticabo alicubi in primis senatoris Steigeri causa, quem hydrope impetitum hactenus restitui, ut metuam relapsum. Scilla autem usus sum, potenti medicamento. Ita plantas spero plurimas me corrasurum.

In VIII. fasciculo et ultimo iconum mearum nunc labore, cum quibus opus absolutum erit. Proxime vero eo labore ero defunctus.

Ex Hispania scripsit ad me Cl. Thiery, varia nova adjecit. Rex hortum botanicam jussit instrui. His omnibus praesidiis fruitur Linnaeus. Ignosce quod nomen Tuum in Gottingensibus Novis addiderim, si quis Zinanni opus sibi vellet comparare. Vellem quantum possum juvare utile institutum. Pauci vero ut credo erunt molesti.

Herrlibergerus vester desideravit imaginem meam, ut sculperet. Pictor melius quam unquam alias ea opera functus est, et habebitur facies meae simillima<sup>5)</sup>. Adjeci ad Herrlibergerum literas Tua cum venia.

1) Marsilio Cagnati, Variarum observationum libri IV. Romae 1785. 8.  
BA I, 264.

2) Giovanni della Bona, geb. 1712, Dissertazione della utilità del salasso nel vajuolo. Verona 1754. Gurlt-Hirsch I, 518.

3) J. Leonhard Frisch, Beschreibung der Vögel, Berlin 1733—36. BA II, 140.

4) Es ist unsicher, welcher Neumann gemeint ist. S. B. B.

5) Ein Kupferstich Hallers von David Herrliberger nach der Medaille von

Bonnetus<sup>1)</sup> propediem nobiscum erit.

Beurerus scribit Haidium, qui certe honestissimus est artificum,  
opus Tuum suscepturum, quam rem Tibi et rei herbariae gratulor.

Vale cum gen. uxore et fave. Bernae die 30. Mart.<sup>2)</sup>.

139.

(138).

Non satis manifesto respondisti, amice optime, num liceat  
mihi plantas servare, si duplices sunt iisque potes absque incom-  
modo carere. Gratum foret. Nolo vero cum Tua jactura ditescere,  
et remittam si desideraveris omnes. Aperto pectore potes mecum  
agere, mi Gesnere. Siccas plantas selegi et Tibi deposui, ut cum  
primis aliis reculis mittantur, ne sumtus nimii fiant.

Adcipio de Orchide cogitationem. Sed vellem omnium dare  
iconem floris, ut intelligantur characteres. Tria erunt genera, cu-  
cullo staminum duplici et duabus antheris s. Orchis, anthera unica  
s. Ophrys, antheris duabus, sed in diversis scapis s. Calceolus.  
A flore non possunt sumi diversitates, cum flore inermi et testi-  
culatae et palmatae species dentur, uti in Orchidibus flore calcare  
donato. Valde vero importabile est duo genera diversa dari, quo-  
rum tamen utrumque duo genera radicum habent similia. Conabor  
hic plerasque species reperire. Si tamen raras aliquas non nan-  
ciscerer, ad Tuum pictorem<sup>3)</sup> et ad Te confugerem, ut in Helle-  
borine radice repente et in primis in Chamaeorchide graminea. Ad-  
parebit vere diversitas Helleborinon, quas confudit Linnaeus. De  
graminibus inde cogitabo, vellem et carices praemittere valde con-  
fusas; intelligo vero difficultatem, quae fit a mutabili facie ejusdem  
plantae, uti junior gravida effecta est. Eadem difficultas regnat  
in Salicibus.

Minime dubito quin Noribergenses aut Haidius opus Tuum  
suscipiant, dum modo paratum sit et perfectum. Haec enim ipsis  
summa calamitas est, quod incepta non absolvantur, ut in Schmie-  
delii iconibus et in Trewianis variis.

Mörikofer erschien 1758. S. Weese, Die Bildnisse A. v. Hallers. Bern 1909.  
Nr. 94, S. 201.

1) Charles Bonnet (1720—1793), Philosoph und Naturforscher in Genf.

2) In der rechten oberen Ecke der letzten Briefe steht jeweils von Gesners  
Hand das Datum. Hier: 5. mart. 54.

3) „Pictor est Augustanus homo, qui et Regenfusio in delinqandis et pingendis  
conchyliis aliquandiu operam praestitit, per biennium apud me victitat et hospitat,  
diligens, artis suae satis peritus, invicibilis patientiae, bonis moribus et qui sapiat.“  
Gesner an Haller, 18. Februar 1754. Epist. III, 442. Der Künstler war Christian  
Gottlieb Geissler (1729—1814) von Augsburg. Thiene, Allgem. Lexicon der bil-  
denden Künstler XIII, 352.

Scribit Reaumurius Buffonium satis brevem fore, quando res ad exotica animalia, ad aves et ad insecta veniet.

Scribit nuper Collinsonius Myliusque, uterque valde urgentes. Mylius in periculum se conjectit carceris. Petit Collinson 50 l., ut continuo in Americam is homo abeat. Si in America esset, spes superest fore ut et ipse seclusus a peccandi occasionibus resipisceret et in primis amici nostri ad prae numerationes redirent. Deinde ni numerantur nummi, pereundum est homini. Quare si posses efficere ut Escherus aliquam partem aut totam pensionem remitteret ad Renier Francofurtum, posset forte hoc adeo honorificum Germanis iter ad finem perduci. Sed properato opus est: Nam sumtus Londini, ubi his 7 mensibus haeret stultissimus, enormes utique sunt.

Vale et me ama. Die 8 Mart. 1754.

140.

(139).

Remittam Tibi, amplissime Gesnere, cum meis stirpibus eas quas desideras, Valerianam Celticam et varietatem Leucanthemi, et si quas alias desideras. Nomen meum si cum Tuo adderes Zinanniana<sup>1)</sup> subscriptioni coloratae, gratum faceres. Non dubito quin possit aequus bibliopola reperiri, quamprimum ipsi persuasum erit de serio fine impensarum, et Tu, qui filii cares, poteris interim eo aequius ferre impensas. Ego desidero pictorem, verum, ut nunc sunt res meae, non cogito quidem de augendis impensis familiae meae. Maximo mibi constituit iter, et emolummentum muneris mei, praeter nominationem quam filiae dabo alterutri, paucum est. In praefectura utique molior aliqua, ut ejus ditionis historiam naturalem.

Mylius aegrotat, videt carcerem sibi inminere ab hospite, tunc desiderat in Americam navigare, quando convaluerit. Quinquaginta imperiales sufficient fere, sunt enim nobis 216, in numeratis desiderantur adhuc 34, quos forte efficiet Sulzerus. Et omnes isti nummi, si morietur Mylius, ad donatores redibunt. Insanus ceterum homo 2000 imp. et ultra consumsit.

Icones recentes desidero Orchideae gentis totius. Vulgares eculo faciendas Gottingae, alias hic procurabo, Fruifloram Pannonicam IIII, Helleborinen aestivam, Monorchidem galea et alis cinereis, Helleborinen repentem, si eam in loco natali qui non procul abest reperiam. Alias mittet ad delineandum Gagnebinius, utar miniaturae pictore, vellim enim hoc genus denique firmare, certe

1) Zinanni (Conte Guiseppe). Delle uove et dei nidi degli uccelli, e sopra varie specie di cavallette, mit vielen Kupfern. Venezia 1737.

Europaeas, exterias vix licet, cum fabrica corrumpatur siccando.  
Horminum si esset, haberet vestra planta stamna duo dianthera.  
Visne etiam hasce Tibi remitti? nollem enim benigitatem Tuam  
Tibi molestam esse.

Non vero oleum Juniperi, quo utitur Langhansius<sup>1)</sup>, satis notum mihi medicamentum est; cum vero nummos inde speret nuperque uxorem duxerit, non oportet arcanum detegere. Morganiana accepi, practica omnia, et in iis Targionium. Verum alterum exemplum facile dominum inveniet, eritque donum gratum Werlhofio.

Me quidem cubiculum retinet. Caeterum hic maxime strepera tempora sunt: Consul alter, thesaurarius ditionis Germanicae, venneri duo creantur, et de supplendis ducentumviris plurimus sermo est. De rebus Toggicis<sup>2)</sup> magis nunc quam prius vobiscum sentiunt.

Bonnetus egregium librum de utilitate foliorum<sup>3)</sup> scripsit, qui aliquo modo etiam ad methodum spectat, cum foliorum ordines multo quam Linnaeus subtilius partiatur. Caeterum multum Halesianum<sup>4)</sup> studium eo in opere est. Etiam id duplex mihi erit, nam Leida misit Luzacus, valdeque lubenter Tibi offero.

Vale cum gen. uxore et me ut soles ama. Bernae die 20 Mart. <1754><sup>5)</sup>.

141.

(140).

Ecce, Gesnere optime, plantas et semina. Lithospermum tomentosum non potui continuo reperire. Verum notavi, et certe addam, quando nunc ad stirpes accedam glutinandas: potesque quas libuerit plantas repetere, reddam omnes. Semina ecce a Pontedera, sume

1) S. Epist. III, 449.

2) Die Toggenburger hatten in den letzten fünfzig Jahren ständige Reibereien mit ihrem Landesherren, dem Fürstabt von St. Gallen, gehabt. Besonders umstritten war die Frage des Mannschaftsrechts, die Militärhoheit des Fürsten. Endlich kam 1755 durch Vermittlung von Zürich und Bern ein Vergleich zu stande, wonach der Fürst das Recht habe, die Toggenburger zum Schutze seiner Person und seines Standes, sowie auch zur Verteidigung der Eidgenossenschaft aufzubieten, jedoch die Militärverwaltung mit dem Volke teilen müsse. S. Dändliker, Geschichte der Schweiz III, 271 ff.

3) Recherches sur l'usage des feuilles dans les plantes et sur quelques autres sujets relatifs à l'histoire de la végétation. Gott. et Leid. 1754.

4) Stephen Hales (1677—1761), Pfarrer in Teddington. Durch seine physikalisch-biologischen Versuche wurde er einer der bedeutendsten Naturforscher seiner Zeit. Das Werk, auf das hier angespielt wird, ist „Vegetable Statiks, London 1727“, ein grundlegendes, pflanzenphysiologisches Werk. Gurlt-Hirsch III, 26.

5) Die Jahreszahl stammt von Gesner.

quae lubet, ut dividas, et alteram partem remittas Zinnio Gottingam curru usus publico, quo potes absque Tuo sumtu mittere ad Renier Francofurtum. Libros accipio ab humanitate Tua et respondissem dudum, nisi me res nostrae valde turbulentae totum voluissent sibi. Et promotio<sup><nes></sup> quidem cum maxima meae familiae jactura dilatae sunt. Consul dum scribo exspectatur Tillier<sup>1)</sup>, de thesaurarii munere litigat Diesbachius<sup>2)</sup> cum Steiger, uterque amicus.

Helianthemum nihil credo habet singulare praeter magnas illas ligneas radices familiares Alpinis stirpibus.

Heisterus plurima a me habuit, reddidit nihil, neque stirpes satis notas habet, senex avarus. Ita de Haidio Beurerus.

Fasciculos Tibi destinavi. Heri VII. accepi medianam fere partem, in octavo laborabam, quando ab eo labore depulsus sum civilibus undis. De Zinanni opere etiam scripsit Cl. Seguier, ad quem pro pediem rescribam Tua usus opera. Scilla amico nunc parum perficit, tentabo diuretica decocta. Anasarea est, non ascites.

Credo Magnolii botanicen<sup>3)</sup> haberri posse, de eo inquiram.

Herrlibergeri literas amisi, cum pictor me destituerit aliis laboribus occupatus. Spes est tamen bene successurum plena facie et directa. Nudius tercarius amicus Steigerus quaestor ditionis Germanicae electus est. Libri quos ex Anglia exspectabam, non absque jactura mea in mari perierunt. Occupatissimus his diebus fui rebus reipublicae, nunc ea paulatim subsident.

Vale vir ampl. et me ut soles ama. Bernae die 18 April. 1754.

142.

(141).

Accepisti nunc, ill. et amplissime Gesnere, varia partim per D. Ith missa, et inter ea plantas, partim nuper accepta, et inter ea Heisteri literas donumque. Silentium summa mea distractio imperavit, cum inter curas civiles, domesticas et medicas distraherer. Filia etiam ex puella me avum fecit.

Mazuchium<sup>4)</sup> et Brogianum<sup>5)</sup> legi, hunc satis eruditum, etsi nunc in Anglia D. Nugent vult vere sanasse hydrophobiam.

1) Johann Artur Tillier (1705—1771), wurde 1735 Mitglied des Großen, 1746 des Kleinen Rates, 1749 Deutsch-Seckelmeister, 1754 Schultheiss neben Christoph Steiger. Ischer, 1905, 173.

2) Gottlieb von Diesbach, 1747—49 Landvogt von Landshut, 1756 Deutsch-Seckelmeister, seit 1749 Mitglied des kleinen Rates.

3) Pierre Magnol, Botanicum Monspeliense seu plantarum circa Monspelium nascentium index etc. Monspel. 1686. BB I, 631.

4) Giov. Mazucchi, Chymiae elementa. Patav. 1751 Catalogus 64.

5) Ambros. Brogiani, De veneno animantium naturali et acquisito 1752. BA II, 482.

Nihil poterat morte Mylii magis optabile accidere; merserat se ita alieno aere, ut Londini ne nummum quidem parata pecunia solverit, etsi 1366 a me et Holmanno imperiales acceperat suis desideriis plures.

De Gmelino non audivi: dudum silet, postquam ipsi desii utilis esse. Si plantis siccis aliquibus potes carere, erunt gratissimae.

Vivo hic vitam certe inutilem, et vehementer praefecturam desidero, ut otio reddar et mihi. Solae horae pomeridianae mihi supersunt, et eas mire decurtat praxis aliqua et socialis vita nostrorum. Id unice lucri feci quod valetudinem recuperaverim. Rusticabor per sex fere septimanas, et plantas venabor, quantum pondus corporis mire auctum et debile brachium permittet.

Utique satis severa jactura fuit librorum quos dono dederat Monrous<sup>1)</sup>, non facile reparabilium. His diebus ovum intra ovum dissecui. Interius ovum testa callosa albumine solo absolvebatur absque sacculo colliquamenti. Exterior testa pariter callosa cellulosae telae ope cohaerebat interiori. Nihil his diebus legi, nunc redibo ad Bonneti opus, qui opinionem meam repetito requisivit.

Cl. vestrum Hagenbuchum<sup>2)</sup> Societati Regiae Scientiarum Gottingensi proposui in locum D. Bochat<sup>3)</sup> successurum. Honorifica haec allegatio est, cum duo tantum in quavis classe sint socii Academiae exteri. Nolui ad eum scribere, neque certe speravit. Tu quaeso rem ipsi nuntia cum plurima mea salutatione.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 4 Maj. 1754.

143.

(142).

Valde placet, Gesnere amicissime, quod non displicet mea commendatio celeberrimo Vestro Hagenbuchio. Scripsi de ea re ad Academiam, et a Cel. Holmanno accepi, valde applaudire nostros tam egregio sodali. Diploma et plenior invitatio continuo sequentur, neque spero rem aliquam difficultatem habituram. Devinciet insigniter vir eruditissimus et sodales et me inprimis, si per otium aliqua pro commentariis elaboraverit.

*Excursiones alias feci. Constitui et delineari curavi charac-*

1) Alexander Monro (1697—1767), Anatom in Edinburg. Gurlt-Hirsch IV, 267.

2) Johann Kaspar Hagenbuch (1700—1763), Theologe und Altertumsforscher, Professor am Carolinum in Zürich. Seine Hauptarbeit galt der Erforschung der römischen Inschriften in der Schweiz. ADB X, 348. S. a. Epist. III, 452.

3) Charles Guillaume de Loys de Bochat (1695—1754), Jurist und Historiker, Professor in Lausanne. Er war am 23. Juni 1751 in die Gesellschaft aufgenommen worden (Comm. I, p. XXXII). De Montet, Dict. Biogr. des Genevois et des Vaudois. Laus. 1878, II, 74.

teres Orchidis militaris maris, Orchidis cucullo cinereo, Pannonicæ quartæ etc. Quare si Tibi occurret aliqua rarior Orchis, valde vellem Te exoratum ut delineari curares, v. g. Orchidem Ram-speckii, Orchidem nigram, Orchidem fl. purpureo conglomerato, Orchidem petalis caudatis, Orchidem cariophylloden, illam angustifoliam C. B., Orchidem barbatam foetidam, Orchidem muscam referentem, O. anthropophoram, O. simiam referentem, Helleborinen radice repente. Sumtus rependam. Spero aliquas a Gagnebinio missum iri, alias ipse conquiram, iturus rusticatum cras 23. Maj. cum novo thesaurario Steigero.

Valde ego desidero praefecturam, ut nanciscar otium. Totas matutinas horas senatus poscit, pomeridianas multa mutilant, amici, cognati, aegri nonnulli. In ranis experimenta facere cepi.

Mitte mihi deficientes schedas nostrorum novorum.

De fonte Niederbrunnensi satis bonam dissertationem misit Spielmannus<sup>1)</sup> et promittit plantas. Ego in primis Orchides venabor. Credo tria genera esse nostratium: Orchidem cui stamina in duabus cucullis membranaceis duo sunt petiolata, II. Ophrym cui una grandis gemella anthera, fere fossilis, inter duo labia styli solidi, et III. Calceolum. Alia discrimina non invenio.

Orchides ita pingi euro, ut atramento flos unus aliquoties pingatur, et in primis remoto cencullo machina staminum, haec acuta lente iatura. Ita tabulam dabo florum fere 24, si succedit collectio.

Belpenses lapidum figuratorum fodinas adibo et aliqua Tibi quaeram et Beurero. Certe pulchrae ibi compactaeque massæ lapidum reperiuntur. Audio etiam in Hasli valle reperiri pulcherimæ pro mensis tabulas lapidis fossilis viridis cum venis rubellis. Etiam in has res me aliquantum diffudi, ut otium praefecturæ historia naturali ejus regionis fallere possim.

Brachium magis et magis convalescit.

Vale vir amiciss. et me porro ama. Bernae die 21 Maj. 1754.

Has per opportunitatem mitte Seguierio queso.

144.

(143).

Ad carissimas Tuas 18 Junii prius respondeo quam Burgdorium redeam, Gesnere amplissime; literas etiam addo ad Pasqualem, quas quaeso Heideggero mittes. Quod vocatio Cl. Hagenbuchio non displicerit, gratum est, et facile ejus otium vel ego

1) Jakob Reinhold Spielmann (1722—1783), Professor in Straßburg, tüchtiger Chemiker, Botaniker und Pharmakologe, berühmt durch seine Institutiones chemicae, Straßburg 1763, 66. Gurlt-Hirsch V, 484.

exspectavero vel Societas Regia, quae plurima inde sibi bona promittit.

Orchides fere omnes delineavi hoc anno. Superest musciflora, cuius iconē valde me devinceres, Cl. vir, tum Chamaeorchis et palmata illa minor Rhaetica. Si anno adhuc 1755 aliqua harum Tibi occurreret, vellem me commendatum. Tuus enim pictor egregius est, et sumtus lubenter refunderem. Scopus est mihi ubique staminum machinam addere, unde mihi characteres sumendi videntur potius quam ex calcare aut ex labello nimis variabili. Pleraque habent calcar, etiam Monorchis, etsi per breve.

Heri senatus 200 vir. jussit me Bactiacum adire et visitare fontes salsos. Ea mihi magna erit opportunitas plantas et rariora legendi. Inter ea ab Imhofio accepi lapidem similem crystallo, hexagonum, vere flexilem in calore corporis humani, erit adeo corium montanum Suecorum. Sollicite omnia colligam. De fossili lapide curabo, quem quotidie exspectamus.

Valde vereor ne pereat noster Beurerus, amicorum optimus, ex febre lenta et tabe. Nemo Germanorum sincerius mecum egit. Gmelinum audio III. tomum floriae sua edidisse. Buttnerus<sup>1)</sup> se ad iter Americanum obtulit. Verum ego quidem non ausim post Mylii exemplum quidquam tentasse simile.

Targioni iter exspectatum erit. Lewii vestri amplissimum opus an stagnat<sup>2)</sup>?

Quotidie commentarios nostros exspecto. Plantas lego frequenter. In Alyssō montano perenni reperi peculiaria nectaria adnata staminibus lucidioribus, squamas bidentatas, saepe praelongas. Corallorizam reperio ab Helleborine aliquantum differre, quod 2 stamina habeat petiolata in facie interiori, cylindri, quam tubam vocat Linnaeus. Reliquae species habent 2 apices sessiles. Caeterum reliqua et vomeris figura labellum convenienter.

Herrlibergeri causa vivis coloribus nuper pictus sum, optime successit; cum autem idem pictor voluisse exprimere atramento indico, nihil fere de similitudine superfuit, et nunc Genevam iconem miserim ad peritiorem pictorem. Nemini hactenus hic labor successit.

Physiologiae meae minoris versionem Anglicam accepi<sup>3)</sup>. Quo-

1) Wahrscheinlich David Sigismund August Büttner, Arzt und Botaniker (1724–1768). Gurlt-Hirsch I, 614.

2) Das Allgemeine Helvetische, Eidgenössische oder Schweizerische Lexicon von Hans Jakob Leu war 1754 bis zum 9. Band gediehen, der nächste erschien zwei Jahre später.

3) Übersetzt von Sam. Mihles, London 1754.

Abhandlungen d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen. Math.-phys. Kl. N. F. Bd. 11, 2. 15

tidie experimenta facio in ranis et commentarium hoc autumno Gottingam mitto. Caeterum etsi minus severa sunt quae ago, tamen valde destituor otio et inquietam vivo vitam, donec feriae autumnales redierint. Est habenda ratio amicorum reique publicae, senatui academico sum adscriptus<sup>1)</sup> et passim adhibeor.

Fasciculum habeo a Bergenio Tibi destinatum, quem per opportunitatem mittam.

Vale vir ampliss. et me ut soles ama. Bernae die 29 Jun. 1754.

145.

(144).

His adeo celeriter respondeo, quod fasciculum missurus Gottingam possim una symbolam von Hagenbuchii, si quam habet, transmittere.

Multa spero ab itinere ad lacus salsos, maxime vero plantas. Utinam possim Tua sodalitate uti. Verum facile video Te non posse 20 diebus abesse. Conquiram autem omnia naturae dona. Köchlinus hic fuit, verum aut de me adeundo non cogitavit aut absentem voluit convenire<sup>2)</sup>. Satis autem frequenter absum ob curam D. Steigeri. Alioquin ut oportebat commendationi Tuae satisfecisset.

Doleo de Seguieri valetudine. Orchis est vomerem referens, credo Helleborine, quam in primis desiderarem. Proximo anno reliquas supplebo Orchides, quare si tunc muscifloram cum staminibus posses pictam curare, faceres rem pergratam.

Vix possunt Bernae nostri Commentarii haberi. Si desideras, curabo ut habeas. Audio tomum III. non esse absolutum, in IV. dabo historiam circuli s<anguinis>.

Nondum accepi Kalmii editionem Suecicam, sed exspecto. Deficiencia Gottingensia curabo, pretium est ni fallor 6 pf. in schedam.

Buttnerus ad omnia paratus est, sed ego ad hujus modi intricatum negotium nolim redire, et certe nunc otio destituor magis magisque mersus civilibus undis. Excurro subinde, ut plantas legam, idque aegriuscule. Digitalem luteam hic in vicinia nuper reperi, Orchidastrum nondum, quod certo noram suo loco pervenire. Ranis etiam multum dedi otii non absque mea utilitate. Libros

---

1) Am 3. Juni 1754 war Haller zu einem Assessor des Schulrates gewählt worden. Auf seine Anregung wurde noch im gleichen Jahr ein Seminarium philosophicum gegründet, das zur Ausbildung der künftigen Lehrer der Lateinschule dienen sollte. S. Haag, Die hohen Schulen zu Bern, 1903, 137.

2) S. Epist. III, 457.

hodie accepi, Albini tabulas osteologicas<sup>1</sup>), Kleinii ostracodermata<sup>2</sup>), et alia quaedam. Sed urget me rheda abiturum. Vale vir amplissime et me ut soles ama. Bernae die 6. Jul. 1754.

146.

(145).

Mitto Tibi, Gesnere amplissime, fasciculum Bergenii. Iter aggrediar propediem, quamprimum Steigerus paulo magis confirmatus erit. Beureri mortem ego certe dolorem acriter. Vix quemquam inventi fide, liberalitate parem. Utique X. volumen Act. Cur. mihi destinatur, tum alia Schäfferi, et forte dissertationes aliquae. De Targioni itinere gratias ago. Fasciculum ex Germania quotidie exspecto.

In historia infelicis itineris scribenda nunc versor, quam oportebit edere, ne aliqua calumnia me tangat<sup>3</sup>).

Iterum in plantis fui. Pulchra Tua Saxifraga flore aurantio nascitur in rupibus Utingensibus 4 leucis ab urbe nostra. Prenanthis purpurei vim magnam reperi, Orchidastrum nondum. Nummos Mörikofero audio Te imperasse, atque hanc exiguam occasionem doni mihi abreptam esse.

Morgagno et Tibi iconum fasciculum VII. mittam propediem; quae Morgagno destinantur, ea tradere oportet Orelliis Bergamumque mitti, ut ibi Andreae Pasta, medico<sup>4</sup>) non incelebri, tradantur. Etiam fasciculum ab eo viro exspecto. Plurima mea spes est ex itinere in salinas. Scopus est pedibus et equo percurrere omnem illum montem, qui hinc in Panex, inde Bactiaci salsos fontes edit. Est autem ibi australis omnino et calidior apricatio.

Hodie Epipactin examinavi, reperi habere perinde ut Helleborine sex petala, quorum tria superiora paulum neque penitus tamen conglutinata sunt. Itaque certo expungitur hoc genus, et potest Ophrys, Helleborine et Corallorrhiza conjuncta relinquiri.

Vale vir clarissime et me ut soles ama. Bernae die 19 Jul. 1754.

147.

(146).

Ecce Gesnere amplissime iconum fasciculum, Tibi destinatum, tum Linnaeana quae lecta quaeso remittas, demum fasciculum pro ill. Morgagno, quem Tibi de more commendo.

1) Bernhard Siegfried Albinus, Tabulae ossium humanorum. Leid. 1753 fol. max. BA II, 128.

2) Jak. Theod. Klein, Methodus ostracologica. Leid. 1753. BA II, 231.

3) Die Myliusche Reise. S. G. G. A. 1754. 873 ff.

4) Andreas Pasta (1706—1782), Arzt in Bergamo. Gurli-Hirsch IV, 503.

Iter meum perfelix fuit. Plantarum vim collegi maximam, aliquas in Helvetia rarius visas, Botrym, vere spontaneam, Lapatum ponduriforme, quod peculiare videtur, Ruscum, Hippomarathrum, Iunitidem siliquis pendulis, quam solent ex Sibiria mittere, Uvam ursi, Aretiam unifloram flore sessili, fructiferam et tamen sessilem. Osyridem (Nast) vere a vulgatori diversam, hexastemonem, Oleam, alia. Fui in Aquileiensi ditione atque ad rupes glaciales Orgeraux, ubi plurimum Hedysarum siliqua levi, Doronicum radice dulci, aliae bonae plantae.

Retuli etiam numerosa mineralia, gemmae sal varium et bullis aeris etiam fetum, sulfur vivum in matrice, cornu Ammonis enorme, quod olim mecum vidisti, figurata varia, mineras metallicas, spati pulchras species talcique, flores aluminosos, sulfur ex aquis Bactiacensibus etc., fontem etiam desertum nostris persequendum et excolendum suasi.

Vale nunc quidem meque ut soles ama. Bernae die 29. Aug. 1754.  
Fac quaeso sciam an possint apud vos haberi tesserae Badenses? Desiderat Bohadschius, cui etiam sulfur vivum mitto. Si possent haberi aequo pretio, addas quaeso, rogo. Sulfur ipsum quaeso fac habeat J. Christophorus Wirtz Banquier. Totum fasciculum Cl. Weissio tradidi occasione usus.

148.

(147).

Mitto Tibi, humanissime Gesnere, nupera nova literaria, quae ni fallor desiderasti; addidi elegantem disputationem nostri Dunzii<sup>1)</sup> et dissertationem Lechii<sup>2)</sup>, quam forte velis legere, et quae nuper excidit manubus: sed eam unicum possideo, illam quaeso Tibi serva. Seguierii supplementum accepi et his literis viro gratias ago.

Sauvagesii libellum non vidi, parum vero ab ejus theoriis exspecto boni.

Knonianam tabulam addidisse, si ausus fuissem complicare, sed Lithospermum tomentosum addidi, quod invenies in Dunzii disputatione.

Plantae quas mittes gratae erunt. Nolim nunc Passavantio molestus esse, ocium certe deficeret, cum necessario commentarius pro Gottingensi academia scribendus sit.

De Ven. fratris promotione gratulor<sup>3)</sup>.

1) Arnold Duntze, „amati olim auditoris“, Experimenta varia calorem animalis spectantia. Leid. 1754. BA II, 505.

2) Johannes Leche, BB II, 338.

3) Hans Jakob Gesner war 1740 Professor linguae Hebreae am Carolinum geworden. 1754 wurde er dazu noch Professor biblicus. Leu VIII, 480.

Ramspekius suam Orchidem misit, magnos vero sumtos fecit Zinnius, qui integras icones mihi misit, quas vereor ne ipsum pretium sculpi vetet. Ego soles flores destinaveram delineare.

Post has ultimas literas accepi a Reaumurio, quibus nuntiat mihi esse me in locum Folkesii<sup>1)</sup> inter exteris sodales Acad. Reg. Scient. receptum die 31 Aug. Novus hic ad colendam naturam stimulus erit.

Libellus de irritabilitate Gallice versus nunc maxime sub prelum datur<sup>2)</sup>. Expedivi me variis negotiis, et nunc ad commentarium de circulatione s<anguinis> redeo.

Lapides inter nostrates cepi magnam vim reperire minerae nisi fallor sulfuris. Foliaceus quasi arenosus lapis est plurimis foliolis pallide aureis plenus, lithargyrio similis. Alabastrum, marmor nigrum venis albis talceis hic frequenter. Ita soler excursiones non semper in plantis abundantes.

Vale vir ampl. et me porro ut soles ama. Bernae die 10. Sept. 1754.

149.

(148).

Accepisti nunc procul dubio, praestantissime et amplissime Gesnere, per Heideggerum aliqua specimina sulfuris — plura vero possum submittere, si placet. Video et doleo me oblitum esse tabulae minerarum a Beurero missae, ea alia occasione sequetur. Quod electio mea Tibi indigna visa non sit gratus adgnosco<sup>3)</sup>.

Totum hunc mensem trivi finiendis meis experimentis de vita absque corde aliisque praeter hanc musculum circulationis causis, et nunc in commentario elaborando versor. Lamurii subdolum et fallax consilium ad eripiendum mihi honorem detecti pulsus venosi in Mémoires de l'Académie 1749 inveni, atque ope literarum a Sauvagesio acceptarum facile avertto, quibus constat a me Monspellenses hoc inventum habuisse<sup>4)</sup>. Non oportet ut video cum his

1) Martin Folkes (1690—1754), englischer Altertums- und Naturforscher, 1741 Präsident der Royal Society als Sloanes Nachfolger; 1742 wurde er zum auswärtigen Mitglied der französischen Akademie erwählt. Dict. Nat. Biogr. XIX, 361.

2) In der Übersetzung von S. A. D. Tissot, Lausanne 1754.

3) Gesner an Haller, Epist. III, 473 f.: „Nemo erat, quem Academia dignorem seligere aut Rex Christianiss. denominare poterat, aut a quo praeclara magis in omni scientiarum ambitu eruditionis verae ac solidae specimina prostarent et jure deinceps exspectanda porro essent. Faxit Deus ut diutissime scientiis decus et praesidium vivas felicissime“.

4) Es handelt sich um die durch die Atmung bedingte rhythmische Bewegung des Gehirns. Haller hatte Versuche darüber angestellt, die er in der Sitzung der Göttinger Gesellschaft vom 22. April 1752 bekanntgab. Die Arbeit erschien 1753

hominibus liberum nimis esse in revelandis novis experimentis. Caeterum satis consonant quae scripsit cum meis paucis exceptis, quae aliqua adhuc experimenta requirunt, ut definiantur in avibus et quadrupedibus. In iis nunc versor.

Quae de Commentariis nostris desideras Tibi notavi.

Sulfur nostrum habitat in lapide selenitico, et talcum ipsum in vicinia reperitur quale coram est; colligo enim porro lapides, et magnam vim omnis generis silicum, certe quam pulcherrimorum ipse ambulando selegi, alabastrum etiam hic frequens, marmor et rutilus et pulcherrimum nigrum, micas varias etc. Consilium est aliquando per ocium haec omnia examinare igne et aquis stygiis. Ad generationem in primis lapidum animum adplico. Ita reperi rotundum lapidem, arenosum, durum, qui continet silicem fuscum. Oportet hunc prius generatum, inde arenoso lecto cinctum, ab aqua volutante in rotundam figuram dictum esse etc.

In plantis nuper reperi me Aquilegia duas raras Filices retulisse, alteram Polypodium meum 8., alteram in Enumeratione desideratum, simile 10., sed deconpositum, ut singulus ramus 10. truncu aequivaleat. Cetariam etiam retuli, vimque magnam Rusci aculeati, qui vulgo circa Roche provenit. Magna spes est, si possem per otium eo divagari, plura eam regionem suppedituram.

Libros aliquos sed practici argumenti accepi, inter quos eminet Lindius de Scorbuto<sup>1)</sup>. Transactionum etiam volumen 47 et 48 novo consilio ita editum apud mercatorem est, quod casu duplex advenit potestque aequo pretio haberi. Nempe numeri Transactionum cum 497<sup>o</sup> desierunt, et nunc numerant volumina. Exspecto vol. Mem. de l'Acad. 1750. A Morgagno fasciculum accepi, nihil ibi nisi Montelatici de agricultura<sup>2)</sup> exigui momenti. Ad Seguierium literas has quaeso Tuis aliquando adde. Orchidem raram misit.

Traductio meae de partibus irritabilibus et sensibilibus corporis humani sub prelo est et proxime prodibit. Ita etiam pergant dissertationes meae chirurgicae, ingens collectio futura 4 grandium

---

gedruckt im II. Band der Comm. ad annum 1752. Lamure hatte durch einen Brief Hallers an Sauvages Kenntnis von den Versuchen bekommen. Er wiederholte sie 1752 und schickte die Arbeit für die Mémoires de l'Académie des Sciences. Sie erschien dort im Bande, der die Jahreszahl 1749 trägt, doch erst 1753 gedruckt wurde. Gegen den Vorwurf Hallers, abgeschrieben zu haben, wehrte sich Lamure durch eine „Lettre de M. de la Mure a M. D'Aumont etc. Lyon 1756. BA II, 369.

1) James L. Lind, A treatise on the scurvy. Edinburg 1752.

2) Ubaldo Montelatici, Raggionamento sopra i mezzi piu necessari per far ristorar l'agricoltura. Firenze 1752. BB II, 414.

voluminum. Satis nitide inprimitur. Marianus misit novem editionem libri sui de aurora boreali<sup>1)</sup>, quae nuper prodiit cum responsione ad Euleri objectiones.

Vale vir cel. et me ut soles ama. Bernae die 4. Octobr. 1754.

150.

(149).

Ecce schedulam quae significat 2 volumina quae desideras, amplissime et amicissime Gesnere, esse pretii 6 scutatorum = baz. 180 monetae nostratis, tantum demtis 3 crucigeris. Mitto eos die Veneris. Aperui aliquantum alterum volumen, cum meum nondum advenerit. Satis recte nunc Anglica possum procurare.

Pergo fossilia colligere, in primis lapides amorphos, in quibus spero me ad intelligendam fabricam horum corporum aliquid profecturum. Gratae erunt plantae quas mittes, Helveticae sunt gratissimae, cum synopsin aveam paulatim parare, in qua certe solae eae plantae exstent. Salices, Hieracia et ejusmodi difficiliores classes duplicata cura aggredior.

Gronovii habeo Musaeum<sup>2)</sup>. Certe pulchrum opus dignumque.

Targionii prodromum non vidi<sup>3)</sup>, Fabbrae vero possideo. Royenii junioris orationem inauguralem<sup>4)</sup> habeo.

Coram est tabula altitudinem Alpium Micheliana, in qua perficienda labore. Delineavit per otium horizontem Arburgensem. Montium altitudinem calculavit subponendo distantiam Geneva Basileam esse 98000<sup>o</sup> atque cum ea sit in meridiano tot graduum, gradum esse tantam partem hujus numeri. Ex Rhaetia hi montes ad usque ditionem Sanensem continuantur. Altissimus est 2750<sup>o</sup>, alii 2736<sup>o</sup> et sic porro. Spero me operi colophorum impositurum dimetiendo geometrice Montem Letschberg, altissimum certe eorum qui hic conspiciuntur. Unico monte recte determinato reliqua familia erunt. Nomina etiam non satis accurata habet.

Commentarium de sanguinis circulo absolvi, et hac septimana Gottingam mitto, alter sub prelo est<sup>5)</sup>, recudo etiam mea opuscula

1) Jean Jacques d'Artous de Mairan (1678—1771), *Traité physique et histoire de l'aurore boréale*. Paris 1733, 1735 et 1754. Poggendorff II, 17.

2) Musaeum Gronovii index supelectilis lapideae. Lugd. Bat. 1740. 8. Catalogus 34.

3) Prodromo della Corografia e della Topografia fisica della Toscana. Firenze, 1754. 8. BB II, 275.

4) David van Royen (1727—1799), Neffe von Adrian, 1754 Professor der Botanik in Leyden: *De hortis publicis praestantissimis scientiae botanicae admiculis*.

5) *De motu sanguinis factorum experimentorum corollaria*. Comm. T. IV. Gott. 1754.

pathologica auctiora<sup>1)</sup>). Inde expeditus ad physiogiam revertar, quotannis tum iter Alpinum dum vigeo suscipiam, hac aestate ad vallem Gademensem. Equo autem adjuvabo me, cum longum laborem vix feram.

Reukusius speciem Asplenii Ruta murariae similem sed diversam Monspelio adulit datam a D. Commerson. Plantas etiam promisit.

Vale cum gen. uxore et me ut soles ama. Bernae die 16 Oct. 1754, natali meo 47.

151.

(150).

Plurimum Tibi debo, Gesnere amplissime et humanissime, propter beneficia et humanitatis summae testimonia quibus fratrem meū onerasti. Utinam paria aliquando Tibi Tuisque reddere possem<sup>2)</sup>.

Plantas etiam per pulchras et in primis gramina gratus accepi. Brunnerum mercatorem, qui in Engelii aedibus habitat et a quo Transactiones emisti, de ea re monebo.

Advenit tertius tomus Comm. Gott., quem nesciebam cui redderem. Si Tibi destinatus est, mittam, erit aliquanto leviori pretio quam apud vestros.

Audio de campo glossopetris pleno alioque ostreis praegrandibus. Utrumque tum montem Belpensem proxima aestate adib: plantarum enim curam interim negligere nolo. Zimmermannus cistulam lapidum figuratorum Mandacensium misit. Nisi habes, potero Tecum communicare. Crystallos valde curiosos etiam dono accepi, et quotidie rariores lapides hic reperio, singulares micas fragiles, quae argenteae et aureae videntur et forte vitriolicae sunt, marmora silicesque.

Commentarius de circulātione sanguinis heri Gottingam abiit ad societatem; alter vero de irritabilitate et sensibilitate propediem absolutus erit<sup>3)</sup>. Opuscula etiam pathologica misi Lausannam ubi prodibunt.

Audio absolutum esse tomum G operis Leeuwiani; cum eo mea vita contineatur, vellem mihi emeres, sed pretio definito: nollem enim Tibi post tot beneficia molestus esse.

1) Lausanne 1754. Auf dem Titelblatt 1755.

2) Hallers Bruder war in Zürich gewesen und von Gesner sehr gut aufgenommen worden. Gesner an Haller, Epist. III, 475: „Pergratum est humanissimum fratrem salvum suis redditum esse eidemque saltem testificationem voluntatis nostrae non displicuisse.“

3) Experimenta de partibus sentientibus et irritabilibus in Op. min. P. I Laus. 1762. Vorher in französischer Übersetzung von Tissot. 1756.

Ammannus Scaphusinus<sup>1)</sup> Tibi procul dubio notus est. An habet aliqua ad rem herbariam Helvetiae? Aveo enim ad rariores plantas vel sola nomina locorum natalium colligere pro synopsi quam paro. Inter meas plantulas nuper reperi aliquot cives novos Lycopodium VII Dill. a Gagnebinio missum, Aconitum hyemale a Schuhio, Lichenis perpulchrum specimen inter meas. Ita spero paulum auctum iri nostram synopsin.

Interim nummos Tuos accepi, et ecce schedulam a mercatore.

Advenerunt aliqua ex Anglia, inter quae est Youngii<sup>2)</sup> de opio singulare et utile opuscolum. Habet pro calido et cardiaco medicamento ad suscitandas vires utili.

Vale ampl. Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 26. Oct. 1754.

152.

(151).

Mitto Tibi, Gesnere optime et celeberrime, duas schedas calculi, quem de nummis Mylianis posui; optima mihi jura videntur hospitis Londinensis, qui diu hominem aluit, deinde Meyeri, cuius sumtu sepultus est. Krausii aes alienum non credo cum horum injuria exsolvi posse, cum alioquin metus sit, ne nummi sociorum in diluendo alieno aere Mylii perierint.

Bauhinianum indicem cum plantis Tibi et Bohadschio destinatis remittam. Commentariorum defectus sarcietur. Hoc anno 1754 longa dissertatio mea in commentariis exstabat et anno 1755 si vixerо alia de Orchidibus<sup>3)</sup>. Hujus modi labores difficulter procedunt longamque seriem experimentorum requirant. Cl. Michaelis ad me scripsit de vestro Ven. Hagenbuchio. Aliqua sunt Cl. viri verbula, quasi commentarium nobis ad edendum missum judicio Gallicae academie submissum vellet. Id videtur nostris contra decora sua fore, forte error subest, quare ut officiose ven. Hagenbuchii mentem requiras, rogatum Te volumus.

Misit Zinnius semina plantae de qua loqueris. Coronatur autem non aristis, sed lana quadam copiosa, ut cum Verbesina stare nequeant.

Nihil credo mihi esse lapidum figuratorum quod desideres.

1) Johann Konrad Ammann (1724—1811), Dr. med., bekannt durch seine reiche Sammlung von Kupferstichen, Muscheln und Versteinerungen. HBLS I, 344. S. a. Epist. III, 475.

2) Georges Young, Treatise on opium founded on practical observations. Edinburg 1753. BB II, 428.

3) Orchideae classis fusa historia cum Synonymia. Sie wurde nie gedruckt, dagegen ein Auszug 1760 in den Act. Soc. Helv. T. IV. Basil. VI, 182.

Verum spero paulatim me ditorem fore. Trewius, qui innumera a me habuit, dudum silet.

Ad Aescherum literas ignarus quomodo ad gen. virum per venturae sint, Tibi inscripsi et sumtus deprecor.

Praefectura Schenkenbergensis vacat per mortem Dni Zehender<sup>1)</sup>. Utinam mihi obtingat ob viciniam Vestram desiderabilis.

Novi vix habeo quidquam. Bibliopola non vult dissertationes meas chirurgicas vendere, nisi duos \*tomos una possit publicare. Exspectandum erit.

Audio missam mihi esse Herpetologiam et Lithologiam Kleinii, sed nondum accepi.

Claretus novellus D. Valesiacus Monspèlio redit, et promittit plantas se Martiniaci lecturum — posset si serio vult pulcherrimas. Mirum est, quanta intra horam Agauni mihi messis nata sit — et habet proximum montem D. Bernardi.

Vale cl. et amiciss. Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 12 Nov. 1754.

## 153.

(162).

Accepi, Gesnere humanissime, nummos, certe praecoces, cum imperfectum sit quod misi specimen, tum Lechei disputationem et Hagenbuchii expositionem mentis sua. Vere virum vellem humanissime salutatum. Non detrectabunt Gottingenses communicationem quamcumque eorum quae nobis pro sua bonitate mittet: id metuerunt ne in académiae alterius actis ederentur eodem vel priori tempore quae nobis misit. Itaque haec ni fallor confecta sunt.

Plantae Tibi destinatae cum libello, et Bohadschianae<sup>2)</sup> nunc puto advenerunt. De specie Zinnii non dubito. Libris et aliis adminiculis destituitur. Bonam vero descriptionem dedit et iconem.

Poterit fieri ut sors faveat, et alia nata est opportunitas, quae possit nos etiam proprius conjungere: ista quidem incertior hactenus.

Si Kleinii testacea legisse velis, mittam.

Si quae superflua sint inter Seguieriana lubenter acceperim.

Omnia hic civilibus undis perstrepunt, mortuo consule veterano, suffecto senatore, plurimis undique funeribus elatis, accidente tempore novae electionis, concertante de mea nominatione hinc familia, inde filia natu majori: unde multa mihi fastidia nata sunt.

<sup>1)</sup> Wolfgang Zehnder, 1735 Mitglied des Großen Rates, 1750 Obervogt von Schenkenberg. Lieu XX, 34.

<sup>2)</sup> Joh. Baptist Bohadsch (1724—1768), a. o. Professor der Naturlehre in Prag.

Itaque parum procedunt omnia quae molior, iconum nempe fasc. VIII. Non aliam urbem ad labores credo ineptiorem nostra ob societas, adfinitates, frequentes senatus utriusque conventus etc.

Ex Germania praeter libros parum bonos et dissertationes alias nihil accepi. Edimburgo vero novae societatis e<sub>r</sub>u<sub>d</sub><sub>i</sub>tae acta misit Monrous cum longa adversus sexum plantarum dissertatione. Parisiis etiam nonnulla habeo, in primis du Hamelii tomum 2. et 3.<sup>1)</sup>. Gmelinus scripsit ita confuse, ut vix intelligatur. Sopitum ajunt esse, et parum sui copotem. De tomo tamen III. adseverat, eum proditum.

Vale vir celeb. et me ut soles ama. Bernae die 10 Dec. 1754.

154.

(153).

Literas Tuas, Gesnere amplissime, ad Societatem Regiam hodie misi, quae plurimum sibi in Te collega placet<sup>2)</sup>.

Ante hos 15 dies senatus me rogavit ne patriam desererem. Itaque multis rationibus a valetudine, ab aetate, a familiae cura repetitis acquievi et regias conditiones deprecatus sum, porroque in nostra Helvetia manebo<sup>3)</sup>. Gottingenses academici variis mihi non satis perspectis contentionibus agitantur, quarum deteriores sunt quas cum bibliopola suo alunt, unde metuo certe ne detrimentum totum elegantissimum institutum capiat, et commentariorum editio interrumpatur. Interim Orchidum Tomus I. eo missus est et physiologicus commentarius alter. Non ideo non valde delectabor veriori icone et anatome, aut recente planta Orchidis barbatae, quam undique venabor. Palmatam alp. calc. brevi sicciam habeo et recentem a Cappelerio exspecto, praecocem vero frutidam Jena.

Debeo Tibi 24 ni fallor liras, et quaelibet est . . . . . (!) Oblitus sum quot crucigerorum puto 12<sup>1/2</sup>. Dissertationis exiguum donum velim benigno animo accipias.

A Burmanno aliqua exspecto. Ellisium<sup>4)</sup> et Trans. XLVIII

1) Henri-Louis Du Hamel du Monceau (1700—1782), *Traité de la culture des terres*. Paris 1750—1761. 6 vol.

2) In den G. G. A. vom 11. Oktober wurde Gesners Aufnahme bekannt gegeben. S. 1134.

3) Haller hatte eine Berufung nach Halle als Kanzler der Universität bekommen. Im Namen Friedrichs des Großen war Leonhard Euler mit ihm in Verbindung getreten. Gleichzeitig hatte Haller mit Göttingen Verhandlungen angeknüpft wegen seiner allfälligen Rückkehr. S. bei Hirzel I, 324 ff.

4) An essay toward a natural history of the Corallines and other natural

curabo. Grata erit accurasier historia declinationis magneticae. Scriptum ad me Brigae terram fissam esse, et speluncam parum latam inexhaustae profunditatis et longissimi tractus natam esse, verum plura exspecto.

Misera Gottingensium negligentia factum est ut nondum advenirent nova Suecica, neque alia. Siegwartus<sup>1)</sup> Tubinga misit disputationes, plerasque anatomicas. Audio Pozzi<sup>2)</sup> experimenta meis consentanea prodiisse, et habet eas Sauvages, ad quem fasciculum mittam, cui si quid addere voles, curabo. Prodibunt enim intra 2 menses Gallici commentarii duo de irritabilitate, duo de motu sanguinis<sup>3)</sup>, qui duo justa volumina 12. conficient.

His temporibus totus mersus vivo civilibus negotiis, consiliis de re cameraria et publica capiendis. Ajunt non laetos nuntios a Toggicis venire neque conditiones ab iis hominibus recipi. Si verum narratur, plenissime insaniunt. Nihil enim poterat ipsis magis salutare ne cogitari quidem.

Tu vero vale meque ut soles ama. Bernae die 10. Jan. 1755.

155.

(154).

Accepi, optime et humanissime Gesnere, tabellarium cum fossilibus Veronensibus, quae nondum evolvi, adeo mersus civilibus undis, ut vix aliquibus minutis horae enatem. Deinde nuper sacer 78. anno aetatis obiit<sup>4)</sup> eurasque meas et temporis dispendia auxit. Id solatio est, omnia haec taedia intra 28 Martii necessario subsidere.

Steigerus noster ex hydrope gravissime, et praeter spem salvationis laborat. Mitto Tibi pro ill. Segnier desideratam diss. de Cassellanis marmoribus, quam Gottinga accepi.

Manettus scripsit, avet nostris sodalibus accenseri.

Hagenbuchio ven. narra quae rem cum Gottingensibus compositam esse, et me curaturum ut quoties aliquid misisse voluerit, aliquot exemplaria in ejus usum describantur.

Spes est per D. Thiery accepturum me plantas Hispanas. Nova literaria Suecica narrant de adventu Löfelingii, qui Carthagena

productions of the like kind commonly found on the coasts of Great Britain and Ireland. London 1755. BB II, 433.

1) Georg Friedrich Sigwart (1711–1795), ursprünglich Theologe, dann Mediziner, 1746 Hofmedicus in Stuttgart, von 1753 an Professor der Anatomie und Chirurgie in Tübingen. Gurkt-Hirsch V, 401.

2) Cesare Pozzi, Professor der Mathematik in Florenz. Er beschrieb seine Versuche in einer Epistola ad Antonium Laghi, Florent. 1755.

3) Deux mémoires sur le mouvement du sang. Laus. 1756.

4) Samuel Wyss.

est, Kähleri<sup>1)</sup>), qui Neapoli. Linnaeus novam editionem generum<sup>2)</sup> et herbarium amboinense<sup>3)</sup> (disp.) edidit post eas quas vidisti.

Hugo archiater et amicus meus ex primariis periculose aegrotat, idem 70rius senex. Ita paulatim vincula solvuntur, quibus rebus humanis revincimur. De vocatione in Daniam agi audio, nihil vero adhuc ad me scriptum est. Obsequerer certe, adeo omnia hic mihi adversa acciderunt, praeter unam valetudinem.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 30. Jan. 1755.

156.

(155).

Accepi, Gesnere humanissime, cum gratiarum actione disputationem Tuam, cuius justa fiet mentio<sup>4)</sup>.

Adjeci his literas cum pictura mea pro Herrlibergero.

Valetudo mea recte se habet; satis etiam confirmatum videtur utrumque generum<sup>5)</sup>, nunc reconciliatum, faustum eventum petitionis sortiturum. Amara varia passus sum, quae patienti constantia superata sunt<sup>6)</sup>.

Manetto desiderata aliqua proxime mittam Tua si placet usus opportunitate. Idem est Thiery, cuius dissertatio adversus cuprea vasa magnae in suppellectile mutationi occasionem dedit.

Etiam Hasselquistius aere alieno obrutus periit Smyrnae. Multa tentant Suerici alacriter, sed ex parcioribus fortunis.

Albinus Deum non amat et homines odit. Praeceptoris icones dudum fero et ferre pergam. Vidi in dictatis ejus multa censurae obnoxia, neque enim aut vasa aut nervos unquam satis diligenter persecutus est viscerumve situs.

Listeri<sup>7)</sup> majus de conchylia opus in bibliotheca Gottingensi exstat. Si mora placet, curabo ut Tibi communicetur.

Et a Borussiae rege et ab Hannoveranis varie tentatus fui. Verum si fortuna faustum dederit 28. Mart. satis quietus hic vixero. Spero sortem mihi in amoeniori recessu rusticationem honestam duraram, et in familia quietam olim mortem.

1) Martin Kähler, Schüler Linnés, der Italien bereiste.

2) Holmiae 1754.

3) Upsala 1754. 4. BB II, 253.

4) De thermoscopio botanico. Tig. 1755. 4. S. a. G. G. A. 1755, 395.

5) Hallers zweite Tochter Friederike Emilie Katharina war mit einem Verwandten, Samuel Haller, verlobt.

6) Haller an Zimmerman, 19. April 1755. Bodemann 36: „M. St. le consul en plein 200 a defendu de me nommer Hofrath ou Secrétaire d'état ..... J'ai essuyé plus d'insultes et d'offenses depuis le 1. de Janvier que dans les 17 années de mon séjour de Gottingue.“

7) Martin Lister. BA I, 586 ff.

Nihil novi habui, et certe nunc omnes Bernae pene febrimus, adeo ardet ambitio et bellum fere omnium contra omnes. Opuscula pathologica et dissertationum tomum II. forte proxime mittere potero.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bernae die 1. Mart 1755.

157.

(156).

Mitto Tibi, Gesnere optime, nova Gottingensia, utinam satis plena, tum semina et alia nonnulla; seminum partem dabis Ottio clar., quem perhumaniter velim salutatum.

Accepi fasciculum et Jani Planci poemata varia. Scripsit mihi Cap de Vila, Professor Valentinus, et indicem librorum Hispanorum promittit. Scripsit etiam D. Thiery et plantas mittendas confirmat.

Uterque gener, Jennerus, hic 36 votis, et Hallerus unanimis in senatum lecti sunt, a prioris tamen cognatis, etsi contra fidem, simultates tamen supersunt. Praefecturas 4 sorte tentavi, sed frustra. Adeoque exspectandum est.

Suecica plurima accepi, quorum quae latina sunt offero, et interim addo herbarium amboinense, quod ubi commodum erit remittes.

Ad studia nunc spero fore ut rebus compositis redire possem et ad rem herbarium. An Gottingenses aut Berolinenses conditiones sim accepturus, deliberabo proxime.

Interim vale et me ut soles ama. Bern 3. Apr. 1755.

Nunc maxime accepi a Basilio Veneto cistulam, in qua primae lineae physiologiae recusae. Valde urgent Hanoverani ut decidam, et serio nunc hac de re consul.

Possimne per Seligmannum habere hos libros continuatos.

Avium Edwardi Catesby collect. T. II. i sq. tabulam v 29 sq.<sup>1)</sup>.

Röselii insecta T. III. p. 497 seqq cum tabb. eo pertinentibus<sup>2)</sup>. Nummos ut daret refundam.

His diebus primum in agrum excurram ut inquiram de Petasitide minore.

158.

(157).

Tantum Tibi debo, vir optime, vel ob solorum fasciculorum quos absque meo sumtu in Italiam mittis, vel ex Italia recipis, ut mei libelli minimam partem hujus aeris alieni diluant.

1) Catesby und Edwards Sammlung seltener Vogel oder Sammlung verschiedener ausländischer und seltener Vögel von J. M. Seligmann. Nürnberg bey Fleischmann 1749 f. Catalogus 1.

2) Der 3. Band der Insekten-Belustigungen erschien Nürnberg 1755. BA II 399.

Minime exspectari poterat omnia adeo fausta mihi cessura. Quare et sors minus favit, et nunc filia minor, vix 13. annum ingressa, renititur matrimonio. Quare ea omnia ad 15. ejus annum dilata sunt, ut melius consideret quantam fortunam sit spretura. Hand enim infra 130 000 l. nostrates Hallerus a patre jam pene 70 rio exspectat.

Mira est rerum publicarum facies. Invidi fuerunt Germani, millies invidiosiores cives mei, certe multi. Et illi habebant quod invidenter, hi quod accusent in me honoris aut fortunae donum ego non video. Omnia enim decora mea ad patriae portas deposui, atque hic innisceor turbae salutantium. Et tamen etiam inter optimates quotidie hujus aversi animi testimonia experior. Nuper tamen inter eos lectus sum, quibus belli pacisque cura mandata est, Landesfriedliche commission. Retuli etiam de novo fonte salso, quem heri sequendum decreverunt ducentum viri, etiam reliqua consilia mea de ea re secuti sunt. Nunc sub prelum misi orphantrophii ideam, quod nonnulli salutis civium cupidi estruvi suadent, ego vero calatum conmodavi. Et hodie solitus turba curarum, prima vice ad plantas excurro, singulis septimanis itinera additurus ejusmodi.

Gottingae non offerunt adeo professionem. Botanices, chirurgiae, anatomiae labores mihi non imponunt. Volunt ut praesidio Soc. Reg. Sc. unico addam munus physiologicum meaque de rebus publicis academie consilia. Haec volunt redimere 1700 imper. annuis, aliisque beneficiis, quae 2600 fere imp. efficiunt. Et accedit haec omni annonae mihi carior conditio, ut omnis porro vita mea literis Musisque unice sacra futura sit, cum hic optimae horae inter deliberationes saepe odio plenas interque colloquia minime desiderabilia pereant. Interim animo constitui praefecturam me novo itineri praemissurum, qua fundamentum fortunae pro filiis statuatur. Inde si vires supererunt, consenescam in grenio Musarum.

Collinsonius scribit editionem Belgicam specierum plantarum inhibitam esse, genera vero accepi cum aliis. Proxime eum librum exspectabam a Wetstenio.

Commersonius scripsit, atque catalogum earum quas omittit plantarum praemisit. Ipse autem totus est in piscibus et Neptunum Gallicum parat.

Quis est liber ille Brownii? Si conspectum habes, quaeso communica. Ellisii historia 200 phytorum sub prelo est, quam laudat Collinson. De Edwardi collectione recte mones, habeo 100 primas tabulas et ultra. Nimium audax fuit Hoferus<sup>1)</sup> in destru-

1) Johann Hofer von Mülhausen. BB II, 414.

endis speciebus. Vera species est v. g. *Typhoides delicatum* et *villosum* et a *vulgaribus* diversum *paniculatum*, non *bicorne*. Nostri vero in multis nimis subtilem fuisse Scheuchzeram.

Accepi Pocokii *itinera*<sup>1)</sup>, Pontoppidanii 2. volumen, quo mira monstra et incredibilia continentur<sup>2)</sup>, Wabst de *hydioxogyro* splendidum opus et alia. Scripsit ad me Värentia D. Capo de Vila et codicem promisit ad historiam medicam Hispamicam. Adest nobiscum Herrenschwandius senior<sup>3)</sup>, Parisiis advena, multaque de rebus ejus regni urbisque reginae narravit. Accepi a Chomelio<sup>4)</sup> codicem librorum omnium medicorum, qui continentur bibliotheca regia. Paro me sensim ad meliorem editionem meae bibliothecae. Basilius (Baseggio) misit Venetiis aliquot exemplaria primarum linearum mearum ibi recusarum. Vitam Zimmermanni<sup>5)</sup> vidisti, a qua multa abesse mallem, in primis querelas illas de invidia professorum, sed nolebat sibi eradi aut oblini quae scripserat, et nimis certe cupit scriptis inclarescere.

Tu vero vale et me ut soles ama. Die 19 April. 1755.

159.

(158).

Convalui, optime et humanissime Gesnere, die fere 6., et interim serum illud frigus remisit. Heri plantarum causa rusticavi, et die Veneris iter Aventicum ad eam rem suscipiam, Orchidum in primis gratia, quas pergo delineatas curare, magno quidem sumtu. Sculputorum vero mercedem sublevabit ill. Munchhusius.

Muscifloram et militarem majorem Tibi commendo. Haec non procul nascitur, nondum tamen inveniri potuit. Deficient ut video aliquae, in primis illa palmata, calcare breviori, spica densa C. Bauh. et Chamaeorchis, ad cuius exemplaria sicca icon fieri nequit, sed difficiliores tamen expediam.

1) Richard Pococke (1704—1765), A description of the East and some other Countries. Poggendorff II, 477 ff.

2) Erik Pontoppidan (1698—1764), dänischer Theologe: Förste Försög paa Norges naturligi Historie. 2 Di. 4°. Kopenhagen 1752—54. Poggendorff II, 500.

3) Johann Friedrich Herrenschwand (1715—1798), von Murten, Arzt der Schweizergarde Ludwigs XVI. in Paris, 1764 wurde er Leibarzt des Königs Stanislaus August von Polen. Gurlt-Hirsch III, 176. Der jüngere H. war der bekannte Nationalökonom. ADB XII, 208.

4) Vielleicht Jean Baptist Louis Chomel, der 1754 Dekan der Pariser Fakultät war. Gurlt-Hirsch II, 16.

5) J. G. Zimmermann, Das Leben des Herrn von Haller, Zürich bey Heidegger 1755. Über die Entstehung siehe den Briefwechsel Haffer-Zimmermann bei Bodemann und Ischer.

De Seguieri abitu non libens audio.

Exspecto conditiones Hannoveranas, quas proponam nostro senatui et veniam acceptandi peto.

Catalogus Rauwolfii exspectatus adveniet.

Ergo curabo Tibi Transactionum vol. XLVIII. P. I. et II. et Ellisium. Nuper advenerunt libri Anglici plusculi, princeps a Kirkpatrick de inoculatione<sup>1)</sup>. Advenit etiam novorum Actorum Edinburgensium vol. I., quo si cares, potero Tibi cedere pretio 3 flor. 1. bz. Continet inter varia bona in primis refutationem sexus Linnaeani. Accessit tandem Baker, employment for microscope<sup>2)</sup>.

Ego in Physiologia majori labore horis subrisivis et dissipatis. Sutiensis pagus mirificam epistolam ad nostrum misit, negavit prius auxilia mitti debuisse, quam in diaeta de rebus omnibus conventum esset. Nos aliter foedera interpretamur. Die Luna, ro-gantibus Uraniensibus, nostrum militem revocavimus, qui Sopri in Valesia tunc tendebat<sup>3)</sup>. Ad vos proxime scribemus, et accipiemus conventum ob res Togicas vestra opportunitate usuri.

Post 14 vel 20 dies Aquilegiā denuo repetam messemque spero pulchrarum stirpium.

Adest Parisiis advena gen. a Brunn olim Gottingensis hospes. Valde laudat Levretum<sup>4)</sup> obstetricem, caetera fere minus. Adtulit Dni. Sue Anatomen<sup>5)</sup> exigui momenti et ex meis operibus manifeste descriptam. Mirum in tantis quibus gaudent opportunitatibus.

Springfeldius<sup>6)</sup> scribit se editurum Gunzii et Haenelii epistles amoebaeas. Voluit etiam meas et Haenelii dare. Ego absque scopo ejus modi publicationis scribo, nulla cum cura nullo studio, pressus fere semper otii defectu.

Hodie propter plantas abfui, adtuli Orchidem fuscifloram. Militarem majorem non reperi. De barbata foetida dudum nihil inaudi vi. Petiveram a Gmelino, nam Tubingae legeram. Sed is amicis inutilis est factus — et vereor ne sibi.

1) I. Kirkpatrick, The analysis of inoculation comprising the history, theory and practice of it, with occasional consideration of the most remarkable appearances in the small pox. London 1754. GGA 1755, 843.

2) Henry Baker, Employment for the microscope. London 1753. BB II, 316.

3) Es handelt sich um den Aufstand der Liviner gegen die Urner, der im Juni 1755 blutig unterdrückt wurde. S. Dändliker, Gesch. der Schweiz III, 273.

4) André Levret (1703—1780), berühmter Pariser Geburtshelfer, Accoucheur de la cour, Verfasser einer Reihe wissenschaftlicher Werke. Gurlt-Hirsch III, 694f.

5) Jean-Joseph Sue (1710—1792), Professor der Anatomie in Paris: Abrégé de l'anatomie du corps de l'homme etc. Paris 1748. 2. A. 1754. BA II, 394.

6) Gottlob Karl Springfeld (1714—1772), Arzt in Weissenfels, Karlsbad und Wien. Gurlt-Hirsch V, 496.

Vale amicissime vir et me ut soles ama. Bernae die 17 Maj.  
1755.

160.

(159).

Accepi cum plurima gratiarum actione, Gesnere optime, icones missas et plantas, atque muscariam quidem Orchidem commode delineatam nactus sum, militarem minus, cum sicca advenerit. Si posset meo sumtu apud vos reperiri et tota pingi, res grata fieret. Si non potest, sufficiet quantum potest figura floris mea Tuaque. Credo varietatem esse ejus galéa et alis cinereis, cum perinde bracteas habeat minimas. Nobis unico loco nascitur, neque reperiri potuit. Nunc montanas conqueram et ego et Gagnebinus, ut absolvatur series iconum. Characteres omnes habeo.

Gmelinus obiit<sup>1)</sup>. Te in ejus locum collegam exterum Societati Regiae destinavi, neque puto rejicient meam lectionem. Ad nullum officium obligaberis, et exemplar accipies Commentariorum: erisque noster propior collega. Sex omnino sunt exteri: Kästnerus<sup>2)</sup>, Mekelius, Hagenbuchius, Ernesti<sup>3)</sup>, Königius<sup>4)</sup> et Tu, si placet aggregari. Correspondentes absque numero recipimus.

Redii his diebus ab itinere Moratensi et Biennensi. Reperi Oenanthen striatam rigidam, sed non est Oenanthe, Carvi propior, tum Uvam ursi, Lactucam purpurocaeruleam, Cariophyllum fl. gemino, et alias plantas non vulgares. Cras iterum proficiscar in agrum Urbigenum Mathod et ibi 8, 10 ve diebus rusticabo plantasque quaeram. Exspecto alias a Coppeto, Ricou et Claret. Mons-pelienses ubi selegero, quas credam placituras offeram.

Scripsi ut exemplum mittant Phil. Trans. V. 48 P. I et Ellisii de Corallinis. Nova literaria pauca habeo. Miserunt tamen Roma folium quo experimenta mea de insensibilitate tendinum penitus confirmantur a P. Tosetti<sup>5)</sup>. Monspelio commentarios accepi de curationibus electricis. A Morgagno fasciculus in via est, quem male neglecto Tiguro ignarus geographiae per Basileam mittit.

Vale amice optime et me ut soles ama. Bernae die 4 Jun. 1755.

1) Am 20. Mai 1755.

2) Abraham Gottlieb Kästner (1719—1800), Professor an der juristischen Fakultät in Leipzig, Mitglied seit dem 19. Mai 1751.

3) Johann August Ernesti (1707—1781), Professor der Beredsamkeit in Leipzig, Mitglied seit dem 19. Mai 1751.

4) Samuel König (1712—1757), Mathematiker und Philosoph an der Universität Franeker, Bibliothekar des Prinzen von Oranien, Mitglied seit dem 23. Juni 1751.

5) Veröffentlicht in einer Epistola ad Josephum Valdambrini. Romae 1755. BA II, 511.

161.

(160).

Redii nuper, Gesnere optime, ab itinere Aventicensi. Vidi vallem du lac de Joux, conscendi montes Dent de Cheval et Montendre, plantas varias rariores legi, maxime Limodorum, Orchidem anthropophoram feminam aliasque. Lapsu manum dextram affixi in M. la Dent, alias praestiturus plura. Lapidem arenosum ebrium petroleo et nonnunquam sudantem Tibi adtuli et aliquos sed vulgatiores figuratos.

Delevi P. I. T. 48 Transactionum, Ellisium vero euso. Zinnanii audio opus<sup>1)</sup> prodiisse, quod a Te exspecto numeraturus nummos quos rogaveris.

A Gottingensibus respcionem exspecto. Hagenbuchii feliciorum sortem gratulor.

Plene nunc oblatum mihi munus est cancellarii Hallensis et curatoris omnium academiarum Prussicarum. Quid acturus sim certe ignoro. Senium obrepst, neque perinde par sum laboribus. Sed hic langueo, certe liceat dixisse, minus acceptus a civibus quam exspectaveram, a studiorum occasionibus exclusus. Dimittent me cives ne verbulo quidem retenturi.

Figura O. militaris grata advenit. Paro nunc quae sunt reliquae. Anthrophora Oreades mas Columnae videtur militaris aliqua (cinereo eucallo); nonnihil dedit vir optimus admirationi in figuris suis, cucullis staminum in funiculos fictis et brachiis atque cruribus alterne flexis. Dabo puriores. Seguierius, cui inclusi has ipsas, misit iconem et florem O. Italicae vomerem referentis. Orchis est non Helleborine, antheris petiolatis.

Libros novos Germanicos non vidi, accepi vero Italicos nonnullos anatomici argumenti a Morgagno. A D. Thiery ex Hispania literas, nondum vero plantas habui. Ricou Aquilegia misit aliqua. Sola vero Junitis siliquis pendulis rarer est.

Bassanus misit Tosetti schedam de experimentis ad insensibilitatem tendinum Romae factis. Ait verti libellum meum et Zimmermanni. Rahnius vester aspere de vita Zimmermannii hic ad chirurgum scripsit, qui toti civitati epistolam circumtulit et praelegit<sup>2)</sup>: adeo oportet cautos esse, ne innocentibus noceamus.

1) Die Opera postuma von Giuseppe Ginanni. Venet. 1755 fol. BB II, 444.

2) Zimmerman an Haller, 27. September 1755, Ischer 1907, 185: „J'ai appris la petite histoire que vous avez eu avec Mr. le senateur Rahn de Zuric. Je vous suis très redevable et de la part que vous voulés bien prendre à mes petits interets. Tout le tort qu'il y avoit dans cette affaire tombe sur le seigneur operateur Kuhn qui m'a toujours hai, toujours calomnié et persecuté clandestinement, pendant que je me trouvai à Berne. C'est un faut devot, sans honneur et sans

Ex Suecia nova varia exspecto, quae Gottingam advenerunt.  
 Valde sollicitor ob pictoris quo hactenus usus sum inertiam.  
 Dubius haereo an Monorchidem, Pseudorchidem, Orchidastrum sim  
 a Michelio sumturus, an ejus commissurus fidei. Adeo non placet  
 icon Orchidis petalis aristatis et batrachitis. Hujus modi homines  
 lente formantur et rari sunt inventu. Plurimum decessit mihi cum  
 Kaltenhofero.

Vale amicissime Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 24  
 Jun. 1755.

162.

(161).

Eo expeditus respondeo, Gesnere amplissime, ne Tibi delineatione Pseudorchidis et Monorchidis molestus sim, utramque enim nactus, quantum sufficit delineatam habeo. Cum salinas forte iterum sim aditus, M. Bernardum petam aliquid rarius reperturus.

Utcunque sint Alstonii experimenta<sup>1)</sup>, credidi tamen Tibi legenda esse.

Ill. Rahnius procul dubio invitus valde mihi nocuit: ejus enim epistola plurimis lecta pro testimonio habita est displicere vestris viris nostras laudes.

Nihil quidquam novorum librorum habeo, serius enim mei advenire solent. Unice Hahnii epitaphia<sup>2)</sup> accepi, et catalogum pulcherrimae certe bibliothecae Gunzianae<sup>3)</sup>.

Quid acturus sim certe nescio. Fluctuo inter libertatis et otii amorem gratitudinemque qua Munchhausium colo, cui odiosissima contingere mea in ditiones Borussicas migratio, et denique cupidinem beneficiendi atque bene meritos viros regi commendandi. Exspecto ad alias quaestiones responsonem necdum definiti quid sim acturus. Utique sunt hic aliqui amici, sunt vero etiam oligarchicae nobis valde potentis factionis plurimi homines, qui mei similes nolunt emergere. Videtur e re familiari fore, si honeste transactis 10 annis redirem et praefecturam ex optimis, nam tunc patebunt omnes, mihi sumerem.

sentiments. Il ne faut pas se scandaliser du mal qu'il fait.“ H. H. Rahn (1709—1786) war Dr. med. und Ratsherr in Zürich, Friedrich Kuhn (1725—1783) Pfarrer in Grindelwald, auch als Arzt und Geburtshelfer in Bern tätig.

1) Charles Alston, Essays and observations physical and literary etc. T. I. Edinburgh 1754. 8. BB II, 418.

2) Johann Gottfried von Hahn, Arzt in Breslau, von Friedrich dem Großen zum Dekan des Collegium medicum ernannt. Er starb am 1. Mai 1753 auf einer Reise nach Karlsbad. Gurlt-Hirsch III, 17.

3) Vielleicht Justus Gottfried Gunz, Professor in Leipzig, Leibarzt am Dresdener Hof. BA II, 270.

Pro Michelio vehementer laboravi, ut in nosodochium translatus mitiori in custodia haberetur. Paucis votis id negatum, tamen Aarburgi commodior habitatio ipsi concessa est. Vidisti procul dubio delineationem Alpium cum altitudine ad mare comparata.

Advenit Gottinga quod Tibi de Commentariis deficiebat. Novus tomus propediem prodibit.

Vale vir cel. et me ut soles ama. Bernae die 5 Jul. 1755.

Heideggero vestro quaeso significa me 2 fasciculos Lipsienses accepisse et gratum adgnoscere ejus humanitatem.

163.

(545, 1/10).

Ecce Gesnere praestantissime Hahnii epicedia Breslaviensis, nam Ultrajectinus<sup>1)</sup> feliciter a morbo convaluit. Tum defectus Tui Commentarii, novus enim etsi paratus non advenit.

Nummos non adtinuerat misisse. Ero enim in aere Tuo pro Brownio et pro Zinannio.

Est Orchis palmata angustifolia calcare brevi quam Huberus proiecta aestate inter Vettis et Melimpesch, Bauhinus olim Michel-feldia reperit, vera et distincta planta. Suntne Tibi aliqui Rhaeti cogniti, per quos ullo modo cum bona delineatione aliquot prospectuum unici floris haberi posset? Aveo plenam dare Orchidum familiam. Chamaeorchidem a proprio homine in Gemmio quaero. Valde volupe esset, si certe Helveticas omnes ad naturam pietas darem. Somisius alias etiam promisit Italicas. Pleraequi paratae sunt, etiam Corallorrhiza, Orchis nigra purp. conglomerata aristata, Orchioides Tr., Pseudorchis, Limodorum, Ophrys minor et reliquae rariores. Magno afficerer beneficio.

Ab Alstono facile Te tueberis. Labatus<sup>2)</sup>, simia du Tertri, levem auctoritatem praestat Kämpfero imparem.

Optima disputatio Kohlreuteri<sup>3)</sup> advenit, tum libri Gottin-genses, novi parum praeter Balhami Institutiones physicas, Grashuysii de colica Pictonum appendicem s. modum curandi<sup>4)</sup>, et pauca alia. Plurimum laboravi, ut delineationem nanciserer Da-

1) Johann David Hahn (1729—1784).

2) Jean-Baptiste Labat (1663—1738), vielgereister Dominikaner. Haller nennt ihn (BB II, 169): „Catus homo et ad res agendas aptus, rei vero naturalis parum gnarus, magnus exscriptor.“ In seinem Voyage aux Isles Antilles, Paris 1721, gab er Abbildungen, die der Histoire générale des Antilles des Dominikaners Jean-Baptiste du Tertre entnommen waren.

3) Joseph Gottlieb Kohlreuter, De plantis quibusdam. Tubing. 1755. 4. BB II, 453.

4) Johannes Grashuis, De colica Pictonum. Amst. 1752, vermehrt 1755. 8.

masonii alii latif., nempe Helleborines. Saepe reperi, semper flacidum, speraveram a Zinnio, cum Gottingae plurimum proveniat. Non reperit. Ita toti mei circuli pro hoc anno turbantur, et retardabitur Orchidis historia.

An alia est *Lychnis umbellifera* Zanoni a nostra coronaria?

Michelium omni opera adnusus sum juvare, ut libertatem obtineret. Penitus non obtinui. Cancer tamen liberior concessus est. Utique distantiam ad pedes montium ex mappa sumi certa ad errorem via est. Vix autem poterat in carcere hoc vitium effugere. Quod refractions adtinet, non valde multum credo in montibus posse, ubi levior aer et minor crepuscula. Altitudines barometricae non deberent negligi, imprimis quae sunt inter multa experimenta mediae, sed pertinacior Michelius vix patitur sibi quidquam dissuaderi.

Ramspekius in Belgium abiens petit epistolas commendatorias. Ergo iis scribendis distineor. Vale et me ut soles ama.

164.

(162).

Gratus sum, amplissime Gesnere, ob Damasonii iconem. Verum frustra Tibi molestus fui. Nam Zinnius qui vulgarem et ibi et hic Helleborinen pal. debuerat ab excellente nostro pictore curare delineari, re promissa nescio quare officium omisit. Sic ad annum alterum hoc differri necesse est. Valde etiam metuo ne *Orchis Alpina humilis*, quam per chirurgum Ricou curaveram, neglectim rustico traditam needum advectam, etiam peritaram. Repererat in Gemmio, quo misi, eodem loco quo Tu mecum anno 1728.

In alba Helleborine pictor 2 petiolos pinxit in antheris, quos ego in 100 floribus nuper non reperi. Mihi videtur non alias petiolus esse nisi is qui totam antheram et spongiosam ejus carnem sustinet. In 2 vero loculis corpus pulverulentum sessile est.

Si proximo anno *Orchis barb. foetida* obtineri potest, perinde fuerit. Nam etiam linguiformem demum curabit D. Somis. Majus vero infortunium accessit ad priora. Nam Luzacus, qui Gottingensia Commentaria inprimis, non vult continuare editionem, male vendi conquestus, et vereor injustus homo. Sumtus etiam meos in delineationibus impensos nolunt refundere. Itaque vel Parisiis forte dabo in illorum Comm. vel etiam singulari libro curabo edi. Certe differenda est editio. Tres feceram partes: *Orchides calcare donatas*, calcare nullo aut brevi, *Calceolum*, *Epipactin*, *Corallo-rhizam*.

Plantas rariores suo tempore deligam. Hieracii praemorsi unguentati aliquot specimina etiam habeo.

Erit etiam ad Seligmannum recurrendum. Nondum audeo, cum totus susceperit in se Trewius mittere ad minimum Blackwelliae schedas. Valde desidero Beurerum.

Mitto hodie Tibi quidem nova literaria, Hagenbuchio vero exemplum Commentariorum IV. et fasciculum, quem praestantiss. Ottio commendo pro Morgagno.

Tandem responsum ad Eulerum dedi. Conditiones jussus fixi luculentas et maximas cum libero reditu. Si quidquam renuerit, patriam praeferam<sup>1)</sup>). Ita etiam nuper suadebat Reaumurius.

Totus sum in observandis ovis incubatis. Res satis succedit, microscopio tamen ob splendorem summum albuminis aegre utor. In universum bonus et fidus est Malpighius<sup>2)</sup>). Hoc in eo studio taediosum est quod omnes excursiones et fere hominum commercia excludat. Cappelerius magnam epistolam scripsit de nescio quo balneo frigido nitrum continente et Vaccinii rubri infuso theiformi.

Initium accepi versionis mei commentarii de motu sanguinis.

Reaumurius aegrotavit et senescit. Tomus Actor. 1751 proxime regi offeretur et publice prostabit.

Vale amicissime Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 21 Aug. 1755.

165.

(163).

Accepi heri, Gesnere humanissime, fasciculum Trewianum Tumque. Nummos continuo mittam. Si tamen fieri posset commode aut modica cum jactura ut Seligmanno possent tabulae remitti, quas interim Spielmannus mihi emtas misit, gratum foret. De ea re an quid credas fieri posse mone quaeso. Continuabo autem opus.

Suntne editae tabulae Trewii Ehretianae 30—40?

Infortunium mihi accidit non leve, nisi scripsi. Plantae Valesiaceae et Gemmii a Ricou lectae omnino non ad me pervenerunt, perfidia advocati cuiusdam qui curandas sibi sumserat.

Audio a Sibthorpio etiam Londini Blackwellianum opus comitius edi, et nescio quem edere tabulas stirpium officinalium.

Engelii l. dissertatio de itinere marino per N. O. edita est, sequentur tres aliae.

1) Hallers Bedingungen, Engagement auf zehn Jahre, dreitausend Taler Besoldung, Würde des Kanzlers, Kuratel der Universität, Freiheit alle Jahre zu reisen etc., waren dem König zu groß. Hirzel I, 325.

2) Marcello Malpighi (1628—1694), Anatom in Bologna. Zu seinen bekanntesten Versuchen gehören diejenigen über das bebrütete Ei.

Zinannii opus audio dono mihi mitti a Pontedera. An vidisti Chorographiae Prodromum Targonianum<sup>1)</sup>?

Quotidie ab academia exspecto de Tuo diplomate. Consenserat ipsa, regis voluntatem non perceperat, cum aula aliis curis distineatur.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bernae die 23 Aug. 1755.

166.

(164).

Nimis certe humanus es, amicissime Gesnere. Et quidem omnino ferre non possum, ut cum Tuo damno in me liberalis sis. Quare Zinannium quidem pretio adscripto mitte quaeso, quem, ubi meum exemplar adveniet, Gagnébinio donabo. Adde quaeso Targioni novum scriptum, quod incorruptum restituam. Deinde remitto quidem tabulas Seligmanni aliasque quas Trewius duplices misit; has restitues per otium, illas si vult cum mea jactura recipere Seligmannus, gratum faciet. Si non potest obtineri, damnum meum erit, ut error meus est (aut Spielmanni). A Röselio nihil remitto, sed rogo ut continues et hoc opus, cuius defectus subplebis, et reliqua. Spielmannoque nuntiabo, ne porro laborem aliquem sustineat mei causa. Velle etiam 4. Decadem Trewii prioribus addere.

Nulla necessitas est nunc parandae iconis. Luzacus librarius cum societate dissedia quaedam ut videtur alit neque vult in opere edendo pergere. Quare Parisios mittam, sed ea res tempore eget.

Utique de *φο* sui fontis urget Cappelerius.

Valesiacae stirpes advenerunt pene omnes putridae. Potui tamen iconem Chamaeorchidis gramineae parare, cuius magna vis advenit, et erant inter reliquias novae cives: Gramen echinatum, quod ex Italia vulgo mittitur, et Saxifraga trid. latif. Pyrenaica, tota alia a nostra vulgatori Alpium flore majori albo.

In primis laboravi in osteogenia. Nullam veri speciem reperi in Hamelii hypothesi<sup>2)</sup>, nam certe ossa pulli cartilaginea absque adhaerente membrana ex uniformi gelatina durescunt. Ossea vero natura flavorum acerum sive sabuli specie ad ingressum arteriae incipit et inde sub forma linearum sanguine et jugis osseis alternantium in cartilaginem sensim se diffundit.

Deest nunc adhuc *O. barbata* faetida, *O. palmata* angustif. calcare brevi, nempe recentes. Reliquos omnes aut habeo paratos

1) Prodromo della Corografia e della Topografia fisica della Toscana. Firenze 1754. 8. BB II, 275.

2) Du Hamel du Monceau vertrat die Anschauung, daß Bildung und Wachstum des Knochens vom Periost ausgingen.

aut facile possum ex floribus complere. Scripsi de ea re ad Reaumurium.

Tuum diploma proxime adveniet.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 28 Aug. 1755.

In eo fuimus hodie, ut in Friburgenses dudum injurios asperi quid statueretur. Factum est tamen occulto studio eorum qui pacem amant, ut temperatior sententia praevaleret. Poterat certe bellum inde exarsisse.

Defuit in Centuria II. Trewii aut Blackwellii quidquid, ultra p 62 in historia auctorum sequitur.

167.

(165).

Seligmanno jacturam omnem restituam, Gesnere clarissime. Accepi Zinannum, certe non nostri seculi librum, et 16 liras Tibi numerari curabo, quae quantum nostrorum nummorum faciant, rogo ut signifiques. Scripsit Cl. Seguier se alium fasciculum per quemdam Heers Reineggi degentem misisse. An Tibi hoc nomen notum est? Metuo ne pereat. Ajebat Reinegg prope Tigurum esse. Ita nuper nescio quis Dantik volumen meum Comm. Acad. Paris. amisit aut suppressit. Röselio nihil remittam, etsi plurima sunt dupla. Targionium remittam cum Nov. Lit. Gott., quae adveniunt Tibi destinata.

Nescio num scripserim de plantis ex Gotthardo. Nihil novi, plurimas tamen raras adulit. Quoniam in solo Plantago monanthos vivat quaeso mone. Forte circa nostros lacus etiam nascetur.

Orchidem graminif. nunc depictam habeo, labello spadiceo lingam humanam referente. Superest semper illa palmata brevibus calcaribus circa Melempsch, tum barbata faetida. Hanc a Te et a Ramspeckio exspecto et ipse quaeram Neocomi. Corallorhizam etsi depictam habeo, tamen per proprium hominem in Germania abundantius legi curabo.

Vereor ne mercator libros Anglicos negligat. Quare vel denuo erit mandatum repetendum aut omnino desperandum. Quid velis fieri jube.

Tragacantha nascitur ad pedem montis qui a 1714 ruinam dedit nomine Diableret. Mittam exemplarum cum reliquis.

Dissertationes ex Suecia adventant, quas Tecum communicabo. Obiit Browallius<sup>1)</sup>, qui diminutionem aquae maris Bothnici et Balthici refutaverat contra Linnaeum. Flora Suecica recusa est

---

1) Johann Browall (1707—1755), Bischof von Åbo, vorher Professor der Naturgeschichte an der dortigen Universität. Poggendorff I, 310.

et II. tomus Kalmii. Omnia mittuntur. Ego ex gravi catarrho laboro. Vereor ne in difficillimas lites cum Friburgensibus incidamus, qui suis innumeris diebus festis nolunt per suam ditionem currus transmittere, et magnis multcis aurigas vexant, ne sale publico quidem exscpto.

Cum rex Borussiae primam conditionem refutaverit, dimissionem nempe liberam, ea vero valde necessaria sit mihi a praefectura in primis hereditatem liberis promittenti, res abrupta est, et ego porro cum libera vocatione Gottingensi, quam quotidie possum acceptare, in patria manebo interque meos moriar.

Evidem varia experimenta perfecissem adjutus auxiliis et discipulis, quae nunc solus ne tentare quidem potero. Sed alia interim urgebo, et Physiologiam per otium absolvam novamque Synopsin stirpium Helveticarum, cui porro quotannis itinera destino, quamdiu repere potero. Proximum Aquilegiam ducet et in Valesiam, ut absolvam iter Veragricum.

Ab Oedero, si gratus est, exspecto septentrionales plantas itineris Norvegici. Deberet in omnino urgere ad Wardhusium usque, nam magis meridionalis Norvegia procul dubio Sueciae jam valde evolutae similis erit. Eximium in Regenfusio<sup>1)</sup> pictorem nactus est, qui nunc conchas suas cum 10. tabula procul dubio dimittet.

Vale amicissime et ampl. Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 13 Sept. 1755.

168.

(166).

Remitto, Gesnere optime, cum gratiarum actione Targonium et addo Nova lit. Gottingensia. Nummos in rationes retuli. Heerianum fasciculum exspecto et gaudeo honestos homines esse.

Mirum ad me non missum esse catalogum bibl. Gmeliniana.

Quae ex Italia nuncias consentiunt cum similibus quae Mons-pelio scripserunt. Num vis praejudicij obsit hominibus, num indoctae manus ignoro. Romae tamen Bassanus egregie confirmavit omnia. In tendinibus, in dura matre infinita experimenta facta sunt, quorum nunc diarium dabo, testes plurimi et praestantissimi. Id aegre me habet quod omnino nunc nequeam iterare experimenta, adeo auxilio et loco destituor et vivo cum ignaris mortalibus.

1) Franz Michael Regenfuß (gest. 1780), Kupferstecher von Nürnberg, kam später nach Kopenhagen, wo er Hofkupferstecher wurde. Er ist bekannt durch seine „Auserlesenen Schnecken, Muscheln und Schaltiere auf aller höchsten Befehl Sr. Kgl. Majestät nach den Originalien gemalt, in Kupfer gestochen und mit natürlicher Farbe erleuchtet.“ 1758. Nagler, Künstlerlexicon XII, 363.

Advenit Mühlmanni libellus<sup>1)</sup>, qui cum nova editione dissertationis meae edatur. Tentabo num Zinnius velit experimenta repetere, quae caeterum nunquam fefellerunt neque difficilia sunt, certe pleraque.

Manetto si prior scribis, nuncia dudum esse adscriptum Gottingensi Academ. Scient. Diploma cum Tuo exspecto. Sed ille ex correspondentium numero.

Accepi ex Germania aliqua nova non magni momenti.

In Helleborines genere nunc sum, seposita tantus per Physiologia. Deinde adornabo diarium experimentorum ad sensibilitatem etc.

Hic fuit Trembley<sup>2)</sup> cum duce Richmondensi. Multa narravit de Vesuvio, Herculano etc. A Donato bona plurima promittit.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 24. Sept. 1755.

169.

(167).

Recte accepi, Gesnere amplissime, catalogos, pulchris utique libris, sed quibus facile careo, plenos, et gratum donum Florae Orientalis. De Novis lit. noli quaeso verba facere, sum vehementer in aere Tuo ob tot transmissos libros et onera viarum. Gratum est quod nulla Seligmanno jactura incumbat. A Ramspekiō miror me literas non accepisse. Literas Seguierii oportebit remittere, quas Nemausum expediam. De Heeriis miror; cum temporis abunde sit, gratum faceres, fasciculi sunt tres in uno, nempe a Manetto et Biancho aliqua.

Grandem ex Suecia fasciculum exspecto, cum Browallii nuper demortui libro contra decrementum maris, Florae Suecicae nova editione etc.

Ab Eulero nuperas literas accepi, quibus denuo sollicitor, ut patriam relinquam. Conditiones ego urgeo ejus modi, ut operaे sit pretium patriam reliquisse et Bibliothecam atque experimenta anatomica possim continuare. Res credo ad nihilum redibit.

Orchides meae infelices sunt. Luzacus novus bibliopola Soc. Reg. detrectat sumtus. Itaque, si in patria mansero, mittentur Parisis Commentariis inserendae academie. Si Halam petierim, edentur proprio libro, cuius sumtus faciam. Verum desunt variae, quas

1) Friedr. Wilh. Mühlmann, Kurze Untersuchung, ob durch die Verletzung der Sehnen und des Beinhäutchens Schmerz und Brand entstehen könne. Königsberg 1754. BA II, 505.

2) Abraham Trembley (1700—1784), Genfer Naturforscher. Als Hofmeister des jungen Herzogs von Richmond reiste er mit diesem in Deutschland und Italien. 1760 wurde er mit Bonnet Direktor der Genfer Bibliothek. Auch politisch betätigte er sich. Nouv. Bibl. Gén. XLV, 613.

venabor. In Pilato M. crescit illa palmata calcare brevi, quam forte obtinuero Neocomi, et apud vos barbata faetida, in Italia anthropophora mas, quam a Pontedera et Somisio<sup>1)</sup> et Allione<sup>2)</sup> exspecto. In Sueciam etiam et Angliam de aliis speciebus scripsi, ut plena fiat historia. Helleborinen s. Epipactin absolvi, species sunt 15, Caleeoli 2, quatuor Helleborines. Tournefortianas separavi, notas dedi et icones.

Vere proximo certo petam Aquilegiam et Valesiam, nunquam verno tempore peragratam. Inde mittam homines in montes aliquos Valesiae, quos non adibo, et venatores in nostras enormiores Alpes. Valde enim cuperem emendare meam Enumerationem stirpium.

Mirus homo Argentorati scripsit „se chylum, lac, sanguinem arte posse ex vegetabilibus parare“. Fontem abundantem petrolei Galli quidam detexerunt prope Langenthal. Adventat fasciculus Morgagnianus Bergamo ad Te pro Tua humanitate mittendus.

Vale et me ut soles ama. Bernae 25 Oct. 1755.

170.

(168).

Nulla alia causa fuit dilatarum literarum, amicissime et praestantissime Gesnere, praeter exspectationem quotidianam tertii et quarti voluminis Disputationum Chirurgicarum, quas volebam literis meis comites addere. Paratas esse oportuerat die 4 Dec., nunc vero die demum 19 poterunt ad Te mitti cum plantis siccis et fasciculo ad ill. Morgagnium. Neque enim unquam negotia mea me ab officio erga amicos distinuerunt.

Accepi Batarram<sup>3)</sup> gratus ob egregium donum, tum fasciculum Gmelianum; Kohlreuteri disputationem habeo, equidem non coloratam, sed nihil est cur mea causa ea careas. Clathroidastrum inter meas est, dudum in Enumeratione sculptum.

Quod non invitus collegio nostro accedas gratus adgnosco. Ipse forte non diu in ea societate manebo, jubeor a rege Borussiae cathegorice respondere, num cancellarii munus sim acceptaturus. Amici mei nolunt me dimittere. Intra 14 dies res ista transigetur, et erit de mea sorte statuendum. Gottingenses remotiora commoda offerunt, et fateor eum mihi locum minus placere,

1) Ignazio Somis, Conte di Chiavrie (1718—1793), Leibarzt von König Karl. Gurlt-Hirsch V, 462.

2) Carlo Allioni (1728—1804), Professor der Botanik in Turin. Gurlt-Hirsch I, 108.

3) J. Anton Batarra, Fungorum agri Ariminensis historia. Faventiae 1755. 4. BB II, 444.

insalubrem, angustum, loco frigidiori situm. Hala laetissimam viciniam habet.

Literas poteris ad me aut ad Gesnerum dare, uti malueris.  
Ad Manettum miserunt nuncium alia occasione, is interiit.

Nihil valde fuisset in Bodmeri auctione, neque Gunzii. Neuter historiam naturalem usquam adtigit.

Ex Belgio similia scripsit Ramspeckius. De Beureriana bibliotheca aveo audire.

Plurimos nuper libros accepi, inter eos Buffonii T. V. cum magna canum caterva, Tilleti methodum praecavendi cariem frumenti<sup>1)</sup>, egregium scriptum, Jobloti novam editionem<sup>2)</sup>, Malouini novam editionem Chemiae<sup>3)</sup>, Martini commentarium in Eustachium<sup>4)</sup>, Act. Edimburgensium novam editionem. Tua non accepi et dudum desperavi. Nunc Wilsonus bibliopola ad me scripsit, vult convertere Physiologiam meam in Anglicum sermonem, vertit opuscula pathologica et tractatum de irritabilitate. Si placet, per hunc hominem curabo Ellisii egregium tractatum Tibi curare et quae volueris alia. Nam cum a me schedas prodituri operis exspectet, non poterit non officium praestare.

Lausannae tractatus meus de irritabilitate prodiit cum catalogo experimentorum, qui integrum volumen complet. Lamurius et Tandon<sup>5)</sup> de re sua desperarunt, carebo adeo hac lite non invitus. Ex Valesia D. Claret non vulgares quasdam stirpes misit, plures ni fallor proximo anno lecturus.

Die 9. hora 2.30 terra hic satis valide tremuit. Passim in pago nostro muri arcium fissi sunt, alicubi etiam camini ruinam dederunt. Hic damno res caruit, non ita terrore.

Atque ita vale, Gesnere celeberrime, meque ut soles ama. Bernae die 12 Dec. 1755.

171.

(169).

Frater meus, Gesnere amplissime et amicissime, imprimi curavit opuscula mea Germanica varia, 25 folia, prosaica omnia<sup>6)</sup>.

1) Du Tillet, Dissertation sur la cause, qui corrompt et noircit les grains de blé dans les épis, et sur le moyens de prévenir ces accidens. Bordeaux 1755. 4. BB II, 445.

2) J. Joblot, Observations d'histoire naturelle faites avec le microscope. Paris 1716. 2<sup>e</sup> ed. 1754. 4. BB II, 126.

3) P. I. Malouin, Chymie médicinale, contenant la manière de préparer les remèdes les plus usités etc. 1755. 12. 2 vol. BB II, 276.

4) G. Martine, Commentaria in Bartholomaei Eustachii tabulas anatomicas, ed. Alex. Monro, Edinburgh 1740. 8. BA I, 228.

5) Antoine Tandon (1717—1806), Anatom in Montpellier. Gurlt-Hirsch V, 612.

6) Sammlung kleiner Hallerischer Schriften. Bern 1756. 8.

Metuit ne vestri, Heideggerus in primis hunc libellum recudant, uti recuderunt poematia. Ergo ad magistratum se convertit Vestrum et privilegium petit. Ignarus morum Vestrorum et formae rei publicae vult Te exoratum, ut per procuratorem, aut qua demum ratione placuerit, supplicem libellum cures offerri, et privilegium obtineri, sumtus rependam et excusatum ut me habeas peto, quod fratris unici amori hanc importunitatem dederim.

Nummos pro disputatione nolo mihi rependas. Detrahama Gianni pretium de Anglicis libris, quando advenient.

Vehementer perturbat animum filii mei annos nati 20<sup>1)</sup>) gravissimus morbus de febrium acutarum maligniori classe. Insultus gravissimus fuit cum rigore, delirio, faecum incontinentia, stupore. Nunc paulo melius habet.

Consilium humile et modestum ut Deo placeat omnino optasse licet. Rex respondit humaniter neque irascitur, quod oblatas conditiones deprecatus sim. Seligmannus literis ad me datis eam humanitatem est contestatus suo et Roeselii nomine. Meyerus autem nummos accipit.

Non possum nunc Ehrhardo respondere, ut vero 2 florenos homini optimo cures rogo. Sauvagesio fasciculum curabo.

Valde metuo ut Michelius venia detur. Metuunt hominem, nolunt de gratia civium exulum quidquam moveatur. Causam ejus hac aestate frustra oravi. Orphanotrophium factioni contrariae extorsimus, cui curator constitutus sum<sup>2)</sup>). Proxime Gottinga Tibi Nova literaria exspecto.

Ad ampl. Ottium literas ut potero dabo. A Morgagno fasciculum Bergamo exspecto.

Vale vir optime et me ut soles ama. Bernae die 5 Febr. 1756.

## 172.

(170).

Accepi, optime Gesnere, fasciculum et privilegium. Mitto desiderata duo exemplaria duoque alia pro amicis, et denuo rogo ut quae Tibi forte impensa factae sint, eas indices.

Filius convaluit, ego altera nunc vice ex podagrico insultu claudico et mensulae adfigor. Satis distinguo dolorem esse nervorum qui secundum internum hallucis latus incedunt.

1) Gottlieb Emanuel, geboren 17. Oktober 1735.

2) Haller an Zimmermann, 29. Januar 1756 (Bodemann 43): „Lundi nous emportames contre le parti oposé l'approbation du souverain pour une maison d'orphelins. Quels horribles discours n'a-t-il pas fallut essuyer! Mais enfin la bonne cause a prevalu. Depuis ce jour j'ai reçu en qualité de caissier et de directeur près de 100 crones de contributions annuelles et une bonne somme pro semel.“

Miror maxime ea quae mihi ex Manetti ore scripsisti. Nunc enim redditia mihi est edita Florentiae epistola Caesarei Pozzi, qua experimenta Florentiae M. Septembri 1755 praesente Cocchio<sup>1)</sup> et Manetto, praesentibus omnibus fere eruditis viris qui Florentiae vivunt, maximo apparatu solemniter facta sunt in meninge, tendibus, pericranio, et omnia secundum me coegerunt. Ea edam in 2. tomo commentariorum de irritabilitate, quorum primum<sup>2)</sup> huic addo fasciculo.

Ni fallo florenor. 5 pretium est annuum nostrorum diariorum.

Mitto Tibi nonnulla Linnaei opuscula. Suecica alia non misi, aliqua ligata mittam. Horticulturam commodo Rislero, ut tamen si placet remittat, cum unicum exemplar sit. Aliud exemplar Centuria I. Linaeanae<sup>3)</sup> curabo adferri, aut meum mittam, quo depingantur.

Multae Suecorum disputationes discipulorum sunt, neque magni momenti. Kalmiani itineris editio per nescio quas lites librariorum interrupta est Holmiae. cum 2. tomis 18 schedae inpressae essent.

Accepi stirpes ex Hispania a quodam nomine Quer<sup>4)</sup>, chirurgo et horti Madridensis <curatore>, et ex Vascenia a Dno. Gerard<sup>5)</sup>. Quamprimum potero, Tecum communicabo aliquas. Alionii de plantis Pedemontanis<sup>6)</sup> etiam eximius liber est, quem si placebit etiam mittam, ut legas.

Addidi Cl. Ottio exemplar opusculorum Germanicorum, cui vero plurima debeo, et fasciculum Morgagno.

In Roselii insectorum T. III semper deficit p. 491—504.

Ab aliquot diebus multa nova accepi, quibus nunc adfixus mensulae vix possum frui. Fallo taedium meum Commentario II, de motu sanguinis. Habeo vol. II. des ouvrages présentés ab academia acceptum, tum demum a. 1751 et coronatam disp. de motu navium. Exspecto pluscula ex Suecia et Belgio, etiam Orchides a Burmanno.

Nuper Galanthum spontaneum reperi.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 10. Mart. 1756.

1) Antonio Cocchi (1695—1758), Professor der Anatomie und Physiologie in Florenz.

2) Memoires sur la nature sensible et irritable des parties du corps humain. Lausanne 1756. 12.

3) Centuria I. plantarum, Upsala 1754. 4.

4) José Quer y Martinez, spanischer Chirurg und Botaniker.

5) Louis Gérard (1733—1819), praktischer Arzt und Botaniker in Cotignac (Provence). Nouv. Biogr. Gen. XX, 166.

3) Rariorum Pedemonti stirpium Spec. I. Turin 1755. 4. BB II, 452.

173.

(171).

Vexat me adhuc podagra, Gesnere clarissime, neque sinit reculas meas librosque perquirere, quos praeter me nemo facile reperiat. Sed mittam ut potero seligere disputationes physicas plusculas in Suecia editas, Centurias vero illas plantarum cum iconem jussi ex Suecia mitti.

Du Hamelium accersi. Misit Reaumurius quatuor novos tomos epistolarum ad Americanum, quae Buffonio opponuntur. Bertrandus accepit Oryctologiam d'Argenvillii, satis malum etsi magnificum opus. Burmannus hodie scripsit se mihi Orchides et duos fasciculos Plumerianos misisse. Audio Linnaeum floram scribere Alpinam, intelligo agi de discipulo Linnaeano.

Selegi stirpes Hispanicas alias Tibi destinatas, non malas, ut quidem videbatur. Eas ut potero mittam. Sunt a Querio.

Quid agunt vestri poetae, qui mihi subinde innocentia Gottschediana aliqua odia conflant?

His diebus distribuuntur praefecturae. Certe aetas et valentudo faciunt ut optem nunc potius quam post aliquot annos mihi meam, quaecunque fuerit, adire provinciam. Vix enim videor mihi porro posse ammanni munere fungi. Mira debilitas podagrum sequitur.

Millerum icones botanicas edere audio, procul dubio Ehrebianas alias.

Vale vir clar. meque porro ut soles ama. Bernae die 7 April. 1756.

Darjesia, junior uxor soror, cum summo ejus meque dolore a febre miliari abrepta est.

174.

(172).

Mitto, amicissime Gesnere, die Veneris Allionum et quaedam Suecica. Audio vero tertium tomum Amoenitatum prodire, quo haec omnia conjuncta habentur. Libros serius advenisse ex morbo meo interpretor, qui me cogit per alios res meas gerere. Libelli de motu sanguinis editio suspensa est chartae ut ait bibliopola defectu. Bene ad finem perductus erat.

Remitto Manetti epistolam. Non capio hominem, qui Florentiae eodem quo scribit mense Novembri inter testes fuit plus centum experimentorum, quae in sensum meum administravit Josephus Vespa<sup>1)</sup> et descripsit Caesareus Pozzi. Quidquid autem

1) Guiseppe Vespa (1727—1804) studierte zu der Zeit Chirurgie in Florenz bei Cochi, Benevoli, Bertini. 1756 kam er zu weiterer Ausbildung zu Levret

sit de his Italis, reconditi sensus gente, experimentis pugnare oportet.

Plantas Hispanicas selegi. Addam nunc Minuartiae ramulos, nam unicum exemplum habeo. Reliquas certe cum his nominibus nunc memoriae non revoco. Holosteum vulgatissimum Gottingae est; scripsi ad Zinnium, ut quantocytus legat, nam verna omnino est plantula.

Podagra mea leniri videtur, nondum tamen vel ad familiam meam repo, et totis diebus in sellula immobilis mensae adsideo, miratus posse cum hoc vitae genere appetitum et motum peristalticum multo melius stare quam Gottingae solebat. Libris legendis tempus tero neque possum in Physiologia versari, cum libros quae-  
rere nequeam.

Nova Gottingensia non advenerunt. Quando advenient, in re-  
lations referam. Sum enim in aere Tuo.

His diebus distribuuntur praefecturae. Utinam Morgia, Eb-  
dunum aut Romanum monasterium mihi contingat, in regione ca-  
lida, in qua spes est nova varia superesse, in primis in ea praefectura quam ultimam citavi.

Libri Gunziani advenerunt, rari aliqui practici et anatomici,  
nam ad historiam naturalem nihil faciunt. Exspecto fasciculum  
Morgagnianum dudum ab humanissimo viro citatum in literis.

Vale et me ut soles ama, Gesnere suavissime. Bernae die  
13. April. 1756.

175.

(173).

Adventant, optime et humanissime Gesnere, libri Tibi desti-  
nati, qui Londini empti sunt. Plantas Hispanicas selegi, et, cum  
vix fasciculum proprium efficiant, cum commentario de motu cordis  
advenient, cuius munda exemplaria propediem advenient. Etiam  
V. tomus disputationum ad finem properat; post eum vero collectio  
disputationum practicarum sequetur. Physiologiae T. l. ipse mun-  
dius describo, quo liber a vitiis fiat tautior. Primus l*iber* de  
cellulosa proxime sub prelum dabitur. Experimenta in vivis ani-  
malibus varia repetii et confirmavi, „in vena pulmonali pariter ut  
in cava vim contractilem esse, quae cordis motui supervivat“  
Intestini partem 15' postquam ex ventre evulsam in tabulam dis-  
posui, irritabilem reperi, ut etiam labia vulneris inverteret et  
replicaret.

---

nach Paris und bekam 1760 den neugegründeten Lehrstuhl der Geburtshilfe in Florenz. Gurlt-Hirsch VI, 98.

Gratissimae erunt Decades Trewianae. Librum nunc crediderim absolutum esse. Quae a Sanchezio habes, non tanti momenti sunt; loquitur de boni senis Bianchi<sup>1)</sup> Turinensis dudum per lites cum Morgagno notissimi epistola, qua tria experimenta non ab ipso, sed a puero refectorii facta recenset. Vandermondius eam epistolam Gallice recudi fecit.

Catalogum Haazenii vidi.

Horti Malabarici pretium nimium est. Meum exemplar 40 imperialibus constat. Venalis hic est Danubius<sup>2)</sup>, qui vili credo pretio posset haberi.

Tandem studiosus huc venit comes futurus mearum incisionum et excursionum botanicarum. Die 19. Lausannam cum filia, sponsa, peto, ea occasione Aquilegiam excurram, non sine fructu in tam beata regione. Redux incumbam in experimenta incubati ovi inque ranarum porro phaenomena.

Praefecturis me sortem exclusisse nosti. Senatui sanitatis adnumeratus fui.

Plantas aliquas non pessimas Monspelio accepi et exspecto plures. Magnolius dono obtulit tabulas H<sub>orti</sub> R<sub>egii</sub> Monsp<sub>e</sub>liensis<sup>3)</sup> patris sui. Multa etiam gramina misit Cl. Mieg, earum deliciarum amans, qui parum sibi placere Hoferi conatus testatus est.

Obiit Krascheninnikof<sup>4)</sup>.

Gratissimus erit fasciculus Morgagnianus.

Vale amplissime Gesnere et me ut soles ama. Die 10. Maj. 1756.

Accepi heri, Gesnere clarissime, satis bene conservatam Orchidem barbatam faetidam, pro qua plurimas grates Tibi ago et Cl. Ammanno. Eam delineari curavi, tum anthropophoram feminam, quam Lausanna et ex vicinia Bex retuli cum musciflora, fuci-flora aliisque. Deest ex Helveticis fere sola cercopithecoiphora, de qua dubito ut sim detecturus. Basileae quidem reperit Stehelinus.

1) Giovanni Battista Bianchi (1681—1761), Professor der Anatomie in Turin. Gurlt-Hirsch I, 443.

2) F. Al. Marsigli, Danubius Pannonico-Mysicus. Haag und Amsterdam 1726 fol. max. BA II, 81.

3) Pierre Magnol, Hortus Regius Monspeliensis, seu Catalogus plantarum quae in horto Regio Monspeliensi demonstrantur. Monspel. 1697. 8. BB I, 632.

4) Stephan Petrovitch Krascheninnikof (1713—1755), russischer Forschungsreisender, Mitglied der Gmelinschen Expedition nach Sibirien, als deren einziger er in Kamtschatka vordrang, wo er vier Jahre blieb. Er starb als Professor der Botanik und Naturgeschichte in Petersburg am Tage, da seine Description du Kamtschatka erschien. Nouv. Biogr. Gén. XXVIII, 187.

Palmatam brevi calcare exspecto ex M. Pilato. Exteras, anthropophoram marem et linguae similem promittit Donatus.

Iter meum hactenus infelix fuit, quod in eremitaie sede prope Agaunum, loco mirifico et in altissimis rupibus posito, valde herbifero, podagra correptus multo pauciora praestiterim quam quidem speraveram. Retuli tamen partem, et partem, immaturas, signatis locis commendavi Cl. de Coppet, bene multas raras. Inter eas Centaurium jugl. f., Salvia quam credo Horminium Pyrenaicum, Asclepias nigro flore (nam florentem amicus vidi), Asplenium, Absinthium inodorum, nondum notum, cum nondum floruerit, rupestre, Cardamine impatiens, Limodorum, Gramen plumosum, Alsine petalis pungentibus, Herniaria, non vulgaris in Helvetia planta, aliaeque.

Misi heri Ellisium et Phil. Trans. partem desideratam. Cum hi duo libri constent 22. sh. 4 penn. et shillingus nunc sit libra Bernas, erit pretium florenorum 10 et aliquanto plus. Tibi vero debo:

ob Seligmanno numeratas pecunias	flor. 5.38
ob numeratas Ehrhardo	2
ob Zinannum	6 ni fallor.

Si recte calculum inivi, debo Tibi 3 flor. et plus quam dimidium. Tu quaeso corrige, neque enim de Zinanno firmus sum.

Addidi nescio quae passim accepta et paucas plantas Hispanicas. Alias ex itinere addam fasciculo quo continebitur vol. Disp. Chir. V. et de motu s<anguinis> commentarius.

Londino accepi varia, Meadii vitam<sup>1)</sup>, Hillii de arboribus fructiferis<sup>2)</sup>, Celsi versionem<sup>3)</sup>, Whyttii Physiologica mihi opposita<sup>4)</sup>, alia. Video etiam Hillium icones botanicas edere, quas curabo.

Misit Morgagnus Romanam editionem sermonis mei de irritabilitate cum tribus Tosetti epistolis quibus experimenta continentur. Adjecit tomum III. Comment. Bononiensium.

De Danubiano opere idem mihi judicium est. Vili haberi posse credo, sed tabulas nonnullas madefactas fuisse. In statum libri inquiram et nuntiabo. Ut est 12 imp. forte venibit.

1) von Maty, 1754. BA II, 12.

2) John Hill, The British Herbal: an history of plants and trees native of Britain cultivated for use or raised for beauty. London 1756. fol. BB II, 356.

3) Die Übersetzung von J. Greive, London 1756.

4) Robert Whytt, Physiological Essays containing an enquiry into the causes which promote the circulation of the fluids in the very small vessels of the animals with observations on the sensibility and irritability of the parts of man and other animals. Edinburgh 1755. 12. BA II, 466.

Burmannus communicavit Orchidum Indicarum sceletos et icones, nescio an servituras, tunc Europaeas aliquas, inter quas est anthropophorae maris splendida, sed vereor non vera icon, et excellens alia militaris majoris. Adsunt etiam plurimae Orchides fucum referentes cum labello rotundo, etiam marginato, piloso. Hanc muscae majoris flore vocant botanici veteres. Conabor ut resciam num veri quid subsit discriminis, et si potes aliqua rescire, fac quaequo sciam.

Misit etiam Chomelius icones Orchidum Gallicarum. Inter eas est cercopithecothora, melius quam apud Columnam, quae adfectata est, curvis nimis crusculis tum alia Pannonicae IIII analoga praegrandis, non satis nota. Multa promisit Pontedera, Seguier, alii. Ego vero in opere, cuius nunc icones pleraeque ad 32 species absolutae sunt, continuabo. Indicas an sim admissurus non satis novi. Ex Suecia Ophrydis cuiusdam iconem exspecto, quae a nostris omnibus diversa est.

Proxime sub prelum ibunt disputationes practicae. Vale et me ut soles ama. Bernae Helv. 12. Jun. 1756.

177.

(175.)

Scripsi continuo ad adfinem, num velit Marsiglum 2 ludovicis aureis vendere, nam id ni fallor pretium significaverat: efficiunt autem imp. 12. baz. 20. Potes tuto exemplar emere, nam inspexi et reperi unice nidos avium, rem satis inutilem, ab aqua putrescente corruptos esse. Si advenit, mittam continuo cum tomo V. disputationum, tomo novo commentarii de motu sanguinis etc. et fasciculo pro amicis Italis. Insignis erit quidem moles Marsigli, ut currum onerarium exspectem.

De nummis facile conveniet. Pro Novis lit. Gott. nihil debes, neque pro Actis, quantum memini.

Ab eo tempore plurimam O. militarem majorem reperi, iconem adornari curavi, sed pictor meus adeo atrabilarius est, ut quo confugiam fere nesciam. Etiam ex vicinia Genevae O. barbata faetida ad me missa est. O. fucum referentem et O. muscam majorem referentem nunc credo esse unice vetula exemplaria O. fuciflorae majoris vulgaris. Nam ejus florem nunc video contrahi, ut spiculum abscondatur labelli et incisura nascatur inter denticulos et ultimum ambitum labelli. Scripsi tamen de ea re ad amicos exterios. Bis ob plantas excurri, reperi plurimum O. muscifloram et Gallium quadrifolium, illud quod Cruciatum sem. hirsutis, Helleborines etiam albae vim collegi. Itaque Orchidum Helveticarum nihil superest pinguendum praeter cercopithecohoram et angustifoliam palmatam,

calcare brevi, quam spero a Capellerio. Vereor autem de Orchide linguam referente et anthropophora mare, nam etsi promiserunt Itali, non valde confido.

Grata erit Cl. Schinzii disputatio<sup>1)</sup>.

Si potero, Interlacum iter faciam per vicinos ibi montes repaturus, ut prius aliquid stirpium corradam quam penitus artuum amittam usum. Debilitas est femoris summa, subinde cum doloribus in maximo digito. A Du Hamelio Orchidum figuras accepi non valde bonas neque novas.

Cum ad disputationes practicas transeam, possintne forte quas nominabo Scaphusio aut aliunde haberis?

Brunner de modo luem venereum absque salivatione curandi Scafus. edit.<sup>2)</sup>.

Commersonius aliquamdiu Genevae fuit et partem Jurae ob plantas oberravit; curabo ut Berdotus aliquid simile in Alpibus Simmiae vallis tentet.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 21. Jun. 1756.

178.

(176).

Distuli responsum, amicissime et amplissime Gesnere, quod iter in vallem Lauterbrunnensem ad rupes glaciales ejus vallis, quae ad occidentem monti Jungfrau adjacent, molitus redditum meum exspectarem. Iter felix fuit hactenus, plantas tamen fere consuetas Alpium retuli, Astragalos, Pediculares etc., neque quidquam valde reconditi, deinde lapides crystalliferos et peculiarem durumque lapidem fossilem sat pulchre rubentem. Lacertam etiam majorem, elegantissimam ex viridi nigroque variam 14" longam dissecui. Exanthema in cervice et manu perstitit et auctum est, nihil impedientibus pluviis, quibus redux pene obrutus fui.

Iconum fasciculum VIII. accepi Tibique et Morgagno curabo proxime.

Catalogum desideriorum meorum addo. Deficit etiam in 2. parte sceletorum Meyerorum<sup>3)</sup> plagula D.

De tabulis Ellisii valde doleo.

Auctarium Rumphianum<sup>4)</sup> accepi, et proxime exspecto fasci-

1) Salomon Schinz, De calce terrarum et lapidum calcariorum. Leid. 1756. 4. BA II, 524.

2) J. Conr. Brunner, De methodo tuto et facile luis venereae curandae experimentis et observationibus confirmata. Scaphus. 1739. 4. BMP III, 321.

3) Joachim Daniel Meyer, Betrachtung curioser Vorstellungen allerhand kriechender, fliegender und schwimmender Thiere, als auch ihrer Scelette. Nürnberg 1748—1756. 3 Bde. BA II, 430.

4) Auctuarium Herbarii Amboinensis. Amsterdam 1751. BB I, 617.

culos stirpium Millerianos<sup>1)</sup>, quorum fere 16 prodierunt. Ego absque coloribus emi, nam coloratis duplum pretium est.

Schinzius et ob proprias virtutes et tamquam nepos Tuus mihi eximie commendatus est. Undique conor augere meam Synopsin. Misi sumtibus meis chirurgum Ricou in Valesiam. Anno sequente iter cum iisdem amicis, nuperi itineris sociis, meditor ad Rhodani fontes, ubi pulcherrimae stirpes nascuntur, vallemque Urseram. Anima equidem adscendentem moratur, progredior tamen, dum lente modo festinavero. Pictor meus nuper extinctus est febre hectica. Verum Orchides paucae supersunt pingendae, Helveticae tantum duae quas dixi.

Zinnius meditatur Salviarum historiam, qualem ego edo Orchidum.

Physiologia mea nunc Lausannae et emendatior prodibit.

Caldanus Bononiensis<sup>2)</sup> experimenta fecit meis consona, quae cum Tosettianis aliisque versa prodibunt Lausannae.

Vale vir amicissime meque ut soles ama. Bernae die 29. Jul. 1756.

179.

(177).

Mitto cras, amicissime Gesnere, Spicae Celticae plantas nuper ex D. Bernhardi M. acceptas. Si florebunt, vellem iconem florum habere.

Londino scripsit D. Ramspeck, unde audio Hillii icones etiam prodire oppositas Millero<sup>3)</sup>, tum historiam naturalem Alepi<sup>4)</sup>.

Valde dolui nuper ex morte uxoris amici, quam dysenteria frustra me contra pugnante abstulit. In pullis pergo, et satis nunc credo enodatum esse problema de cordis mutationibus, quae revera minime tantae sunt ac Malpighius scripsit. Tres vesiculae sunt, auris utraque, ventriculus uterque et aorta. Caveae duae aurium pro unica sunt habendae, una etiam replentur ventriculi, una per arteriam pulmonalem et aortam sanguis ejicitur, et ista alio quidem modo ac in homine, cum aorta in unum truncum dorsalem confluit. Pulmonis arteria et vena sero et lente uti alii aortae rami explicantur.

1) Philippe Miller, Figures of uncommon plants described in the gardeners dictionary. London 1755—1760. 2 vol. BB II, 221.

2) Leopold Marc Antonio Caldani (1725—1813), Professor für praktische Medizin und Anatomie in Bologna, später in Padua. Gurlt-Hirsch I, 643.

3) The british herbal etc. London 1756, oder Eden or a compleat body of gardening. London 1757. BB II, 357.

4) Alexander Russel, Natural history of Aleppo. London 1756. 4. BB II, 455.

Vellem absque molestia Tua Morgagni quamdam querelam Tibi operire, quae procul dubio invito humanissimo Ottio accidit. Scribit nonis Augusti sibi fasciculum missum, quem ineunte Martio noluerit recipere Pasta ob tabellarii iniquissimam petitionem, ipse Morgagnus omni conditione voluerit habere. Ego vero credebam Bergamum ad Pastam cum mercibus ferri libros. Quare qua es prudentia velles cum Cl. Ottio agere de ea re, nollem enim et huic Cl. viro molestus esse, et tamen apud Morgagnum malam gratiam inire ob iniquius pretium.

Ex Alpibus aliquas stirpes accepi, novi nihil, Telephium vero ex Valesia, novam civem; loca natalia sensim augentur. Du Hamelium accepi, et minoris nunc aestimo, cum pars botanica varietatibus nimis aucta et parum propria sit. Oeconomica bona videtur.

Physiologiae prima scheda impressa est satis grandi typo neque ineleganter, sculpuntur ornamenta varia et facies mea a Willio Parisino magno sculptore<sup>1)</sup>.

Fasciculum iterum a Morgagno exspecto, credo per Ottium Clar. virum. Experimenta Caldani de dura matre repetii, nihil serii reperi.

Vale vir optime meque ut soles ama. Bern. 25. Aug. 1756.

Possem plantas Alpinas cum radicibus facile Tibi curare, si placebunt. Cappelerius Orchidem desideratam, sed flore exutam misit.

180.

(178).

Quae misisti, clarissime Gesnere, recte ad me pervenerunt. Pro plantis gratias ago. Kramerum etiam legi missum a Popovitschio.

Pro disputationibus iterum grates dicendae sunt. Aliquas non recudam, itaque remittam. Ex Gmelini libri<s> aliquos desiderabo. Zwickio respondi.

Peregre fui ad fungos conquirendos. Rara varia reperi, Pezizam<sup>1</sup> tubae aemulam, Clavariae speciem singularem viridem compressam, linea divisam, Mucores aut qua demum voce velis has vegetationes vocare flavas ramosas, gelatinosas, Iungermannias raras, Lunulariae folia.

---

1) Johann Georg Wille (1715—1808), einer der bedeutendsten Kupferstecher des Jahrhunderts; bei Gießen geboren, lebte in Paris. Nagler, Künstlerlexikon XXI, 465 ff. Die Elementa physiologiae erschienen ohne Hallers Portrait. Zimmermann an Haller, 9. Oktober 1756: „M. Wille allemand de nation a une grande réputation à Paris. Je suis bien charmé que ce soit lui qui doit graver votre portrait. Mais d'après lequel de vos desseins ou peintures doit-il le graver?“ Ischer 1908, 142.

Cl. Cap de Vila ex Hispania promittit stirpes, etiam Peruvianas, misit libros. Aliqua mittet Pontedera, quae per vestros exspecto.

Quo magis Du Hamelium lego, eo minus reperio botanicum esse. Ne quidem Vitem odoram vulgarem novit, neque Ericam, et pro utroque plantam alienam pingit. Optima vero sunt quae ad mechanica arteficia habet ab aliis communicata.

Quamprimum potero, seligam stirpes meas siccias et incrementa hujus anni mittam, quae tamen sunt aliqua, cum in primis glaciales illas cives plerasque optime siccatas habeam. Exspecto ex valle Augusta alias a D. Claret.

Pene absolvii experimenta in ovo facta et edam Gallice puto<sup>1)</sup>, cum Commentarii Gottingenses penitus sileant, mira ibi confusione nata. Physiologia lente procedet, sed spero emendata satis, postquam Lausannae editar. Totum autem exemplum describo mea manu. Castiglioneus per famam forte Tibi notus misit versiculos nonnullos edendos cum suo Popio. Jussit me eos D. Giustiniani Tigurum mittere. Tu rectius noris quis hic sit homo, cui quaeso adjecta trades, nisi molestum est.

Novum Transactionum volumen prodiit pro anno 1755. Hillii British herbal jussi adferri et Milleri icones, has, quia praecarae, absque coloribus. Hiliiana vili satis pretio veneunt. Homo est acerrimi certe ingenii et celerrimi laboris. Verum ajunt aliena opera pro sua uti, nihil ipsi novi esse.

Ex Suecia dudum nihil audio; misi tamen eo varia, etiam semina Laricis et Pinastri magna copia. Abjetis albae nescio quare non potui corraderem, cum vulgo hic nascatur.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 31. Aug. 1756.

181.

(179).

Hodie, amicissime Gesnere, profectus est per tabellarium, ita enim Trenkius maluit ne laederentur, marmorum series 21, singuli 6 baz. venales. Hanc summulam in Tuas rationes retuli, neque enim aere Tuo sum solutus. Sumtus in viviradices facies nullos. Quas alias abjicerem, eas unice Tibi servabo. Amici enim solent plantas cum radicibus et terra ipsa mittere, mihi vero nullus est hortus cui committam.

Doleo quod molestus sim ampl. Ottio, doleo quod Morgagnus queratur, cuius commercio nollem excidere, quia varia nova non

---

1) Deux memoires sur la formation du poulet. Lausanne 1758. Lateinisch erschienen sie in den Opera anatomica minora T. II. Lausanne 1767.

aliter a me obtainenda subinde mittit. Etiam nunc fasciculum ab eo exspecto.

Physiologiae tertia scheda impressa est. Legibili charaktere prodibit, forma nimium fere et longa et lata. In describendo nunc sum, misero satis labore.

Schwachheimio, non valde bono viro, parum tribuo. Brunneri disputatio nunc penes me est. Guettardus<sup>1)</sup> hypothesi servit. Varia nimis est Helvetia, et tota undique <me>tallica.

Berdotus discipulus meus abiit in vallem Grindeliam, a quo pulchra aliqua exspecto, est enim diligens et optimis oculis praeditus.

In ovis meis valde processi, pauca supersunt enodanda: in primis qua fiat, ut in tenero fetu unica videatur magna arteria de corde prodire, cuius loco paulo post non una aorta, sed quatuor omnino vasorum succedit fasciculus. Ossa a longitudine  $\frac{1}{10}$  partis pollicis, quo tempore flexible est gluten quod postea os fit, ad perfectionem usque persecutus sum. Periosteum nunquam adhaeret, nunquam lacinias relinquit, et ossa etiam tenerrima accurate dissecantur, quod in membranis mollibus fieri non potest.

Filia mea Jennera humanitate Tua perspecta rogat velis ipsi indicare, quodnam [sit] ejus modi serici quale in exemplo adjeci pretium sit.

Vale amicissime Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 14. Sept. 1756.

182.

(180).

Serici utriusque, amplissime Gesnere, aliquam copiam desiderat filia. Quartam librae partem ejus quae cerulei quid admistum habet. Tres octavas ejus quae penitus alba est. Nummos rependam.

Initium hujus anni ad Gottingensia Nova pertinens ut puto ad Zimmermannum aberravit, qui si accepit mittet. Sin minus, vel remittam quae accepi, vel arcessam primas 33 schedas, uti juss eris. Anglicos libros curavi veritus ne hiems eos intercipiat.

Tanacetum ex charaktere est quam Tu ais plantam. Nascitur in der Golden prope Unterseevam. Nuper ob muscos excurri, plurimum legi Bryi rosei mei florentis, et Muscoidis Absinthii f.

Nuper scripsit Michaelius. Relationes redibunt in ordinem, ipso M<unchhausi>o sumtus faciente. De Commentariis et Orchidibus

---

1) Jean-Etienne Guettard (1715—1786), französischer Naturforscher, lebte als Konservator der Sammlungen des Herzogs von Orléans. Nouv. Biogr. Gén. XXII, 472.

etiam nunc ignoratur. Earum interim augeo icones, desunt tantum 2 Italicae et Limodorum, quod facile recepero et cuius characterem jam habeo. Si Gottingae penitus morantur, edet Bousquetus cum aucto de Alliis libello<sup>1)</sup>. Docti illi viri se conficiunt invidia et pertinacia in tuendis sententiis.

Birchii historia Societatis Regiae<sup>2)</sup> multa habet quae in Transactionibus deficiunt, pleraque tamen brevia et transitoria quasi, magnum videtur opus futurum, unius ad 10 annos voluminis, adeoque decem vol. 4. bene grandium.

Defectus Noriberga repetendos, si Tibi molestum est, per Roeselium curabo. Milleri icones non valde pulchrae sunt. Hillianae ut vereor deteriores.

Vale Gesnere amicissime meque ut soles ama. Bern. 1756 1. Oct.

183.

(181.)

Accepi libros, Gesnere amicissime, laetor vero, quod non adderis sericum, nam perpetuae pluviae libros penitus madefecerunt, absque tamen malo.

Die Veneris mitto quae adsunt de N. Lit. Gott., reliqua complebo.

Ego ob muscos et fungos excurri, legi varias, etiam Geastrum, et pergo curare ut pingantur. Plurimas pulchras stirpes a Clareto accepi, nonnullas aegre in Helvetia visas, ut Judembergensem Jacobaeam Clus. et duas Umbelliferas, quas non accurate contuli cum meis, nunc protinus vix adgnosco.

Die Lunae deliberatum est de milite in Moraviam mittendo; plurimis sententiis jussi sunt nostri manere, defendendo tantum Galliae regno dicatos. Vos quid agatis hac in re aveo scire. Multa hic in me odia conscivi, dum resisto Gallicae factioni, sed ante omnia faciendum est [ut] ne ipse me cogar odisse.

Iacea nihil est nisi mea Onagra carneo flore.

Mitto Morgagni epistolam cum N. L., ut videas quarelitas boni viri. Miror ubi latet fasciculus, quem mihi valde dudum misit.

Birchium nunc legi, multa habet notatu digna.

Tandem Relationes Gottingenses in ordinem redeunt, nondum Commentarii. Experimenta in pullis absolvi inque ovo incubato. Certum est periosteum in animali tenero nondum adhaerere nisi ad finem ossis; eo adolescente sensim magis adnectitur, et id vitium fuit Du Hamelii quod teneros fetus neglexit. Ut pulmo

1) De Allii genere naturali. Gott. 1745.

2) Thomas Birch (1705—1766), seit 1752 Sekretär der Royal Society: History of the Royal Society of London 1756—7, 4 vol. Dict. Nat. Biogr. V, 68f.

cum suis vasis sensim subrepas satis recte vidi, et ni fallor haec experimenta ostendunt utique alias partes corporis animalis post alias explicari.

Zinnius aegrotat. Cum eo Gottingensis Academia ultimum vere utilem hominem amitteret, de medicina loquor.

Vale amicissime Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 13. Oct. 1756.

184.

(182).

Mitto, Gesnere amicissime, Rumpfii desideratum Auctarium cum plantis quas collegi. Seligmanno numeratos 2.45 in rationes refero, addamque sericum, cuius pretium placeat repetere. Deducam de libris ex Anglia exspectatis.

Amicus ex nostris valde desiderat libellum, quo Pagus Sutensis se purgavit, cum Stadlerum supplicio adfecisset. Dixi difficulter repertum iri ante 50 annos Tugii impressum scriptum, tamen ad amicum de eo scripturum. Nollem molestus esse, si tamen confici posset, gratum foret.

Avemus de senatus vestri decreto rescire. Friburgo relatum est eos homines, etsi Galliae dediti sunt, tamen abusum hunc militis Helvetici improbare.

In fungis pergo, et pictor adsuescit. Multi tamen perierunt, quia non satis expedite ad pinguendum accesserat. Plena vicinia nemorum ad hoc studium vehementer apta est. Fere 20 prioribus addidi iconibus, quae sunt, ad aliquot centurias. Difficile opus ob varietatis et ejusdem fungi variabilem naturam.

Gottingae spero res in ordinem reddituras. Praemium pro generatione animalium propositum nemo refecit nec alterum pro Rubiae cultu<sup>1)</sup>. Cogendi sunt Germani ut experienta faciant. Nova quatuor problemata proposui.

Plantas iterum aliquas Alpinas accepi, in primis plurimam Vitem ideae f. albicante oblongo, quae frequens est in montibus Aquilegiensibus. Ego ad Muscos ut tempestas favet redibo, ut emendem ornemque novam editionem Enumerationis. Nullus mihi hoc labore suavior videtur, quo peccata nostra abstergimus.

1) Die physikalische Preisaufgabe lautete: „Was das wahre weibliche Ey sey, in welchem der Mensch und das Thier im Mutterleibe wohnen? wo es entstehe und wie bald es sich vom Eyerstock ablöse? ob es in dem gelben Körper seinen Anfang nehme? ob dieser aus einer Graafischen Blume erwachse, und was der Nutzen dieser letzteren sey“? Der ökonomische Preis war bestimmt für die beste Abhandlung „Vom Bau der Seeländischen Krappe, und wie diese Pflanze in den zunächst an der See liegenden Gegenden mit Nutzen gebauet werden könne“ G. G. A. 1756, 906.

Orchides Africanas mirificas Burmannianas evolvi. Vix potero his uti, cum destruere non liceat, in siccis vero fabrica floris non adgnoscatur.

Satis nunc disco varietatem esse et anthropophoram marem et cercopithecophoram, tamen utramque omni labore requiram, ne quid desit. Difficillima est Pilatina illa palmata, calcare brevi, spero tamen a Cappelerio me habiturum.

Valde nos erexit felix regis Borussiae de Saxonibus victoria<sup>1)</sup>, qua paulatim aequilibrium restituitur, quod a foedere trium potentissimorum imperiorum periclitabat.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 28. Oct. 1756.

Accepi hoc minuto horae fasciculum. Pretium serici desidero. Bottaghisii excusationem addam primis literis Morgagnianis. Nescio quomodo ejusmodi incommodo occurratur. Seligmanniana omnia ad me pertinent. Pro curatione harum rerum gratias ago.

185.

(183).

Remitto cum plurima gratiarum actione librum Marquerii parum acutum. A Morinio literas habeo, plantas exspecto, alias vicissim missurus. Ab Allionio accepi non multas, per pulchras tamen, et ni fallor novas.

Mihi nullum fere literarum cum Belgis commercium est. Si posset Tua cura fieri ut Gaubii Pathologiam<sup>2)</sup> et Gronovii Systema Linnaeanum acciperem, gratus omnino forem.

Rex Sardiniae literas nostras et prohibitum militis usum offensivum valde probavit. Aspere respondit Chavigny<sup>3)</sup>; ea occasione legi quae olim gesta sunt, et eundem totius Helvetiae sensum fere in singulis paginis expressum reperi. Res in melius mutari et vacillare Russos legimus.

Acta Gallica mea nondum accepi, sed alios plusculos libros, Bauerii Observationes anatomicas, compilatitiam historiam animalium, quae pro supplemento destinatur ad opus D. Geofroi, Vieussenii posthumum opus de viscerum structura<sup>4)</sup>, alia. Anglici nostri libri appropinquant.

1) Der Sieg Friedrichs des Großen bei Lobositz am 1. Oktober.

2) H. D. Gaubius, Institutiones pathologiae medicinalis. Leyden 1750.

3) Anne-Théodore Chevignard, genannt Ritter von Chavigny, französischer Gesandter in der Eidgenossenschaft von 1753—1762. HBLS I, 324. Er suchte die Allianz mit den reformierten Kantonen zu erneuern und hatte 1756 mit Heidegger verhandelt.

4) Raymund Vieussens, Experiences et reflexions sur la structure et l'usage des viscères. Paris 1755. BA I, 713.

In Physiologia pergo, sed res publicae plurimum furantur otii.  
 Plagulae impressae sunt 14. Immane opus erit plagularum 500.  
 Zinnius convaluit, totus se ad botanicam applicat.

Salinae quas a. 1754 et 1756 adii et commendavi ut nunquam cultarum denique cura generatur, cuniculis factis luculentissime, fere quotidie et aquae copia et salis augentur, ut omnino spes sit plus unde prodituri beneficii quam ex antiquis illis pagi Panex. Scaturiunt in rapidissimo prato sub excelsa rupe Chamoisare, via molestissima eas bis adii. Fructus sunt botanices, nunquam enim absque eo studio eas rupes perreptassem. Jussus etiam sum antiquitates Kulmenses<sup>1)</sup> inspicere, sed a tempestatis saevitia prohibeor.

Vale meque ut soles ama. Bernae die 18. Nov. 56.

Innumera ex Suecia exspecto, quae Tecum communicabo. Jam M. Septembri Gottingam missa sunt.

186.

(184).

Si modico pretio hi libelli haberi possunt, Gesnere humanissime, peterem ut mitteres.

De militis Vestri usu aveo scire quid porro sit futurum. Nos die 3. post longas et vehementes satis controversias in priori consilio stetimus et ad Gallos rescripsimus, non posse militem Helveticum tamquam auxiliares copias aliorum mitti. Id unice miror Vilettium hic nihil tentasse, certe publice nullum scriptum dedisse. Tugienses literas aveo rescire, ut Vestrates acceperint. Dehortati sunt eos Lucernenses, asperum hominum genus.

Multum hae lites inimicitiarum mihi conflant, cui certum est pro legibus, foederibus et patria stare. Iracundi mollescunt, multos variis modis magnates pelliciunt, alios ignorantia rerum seducit.

Nunc quidem ad studia mea redii. Nonnullos malos satis libros ex Anglia accepi, sunt tamen quibus carere vix possis, ut Hill British Herball, cuius acceptum specimen si placet mittam. Novas plantas passim aut certe varietates describit, et eum audire oportet. Icones descriptae fere ad antiquas, nihil ad Millerum qui naturam sequitur.

Ex Hispania a D. Barnades<sup>2)</sup> iterum stirpes exspecto, Americanae vero Hamburgo adventarunt, et una ut credo libri nostri

1) Im Auftrag der Regierung ging Haller mehrmals nach Kulm im Aargau, um die römischen Altertümer zu besichtigen. Die Ausgrabungen wurden größtentheils unter seiner Leitung vorgenommen. S. Samuel Schmidt, Recueil d'antiquités trouvées à Avenches et à Culm et., Berne 1760; Hirzel I, 358.

2) Miguel Barnades, „professor primarius in horto Matritensi“. BB II, 583.

Angli nuper imperati. A Morenio et Morgagno video nihil hactenus advenisse, de isto miror et doleo.

Suecica Gottinga abierunt, inter ea sunt 13 disputationes Linnaeanae.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 7. Dec. 1756.

187.

(185).

Mitto Tibi, Gesnere celeberrime, specimen Hillii, ut si placet acersere possis opus. Millerianas enim plantas unice Tibi curavi. Pro egregio dono Linnaeani Systematis gratias quas decet ago.

Suecica appropinquant. Ex Germania nihil accepi hactenus, una adveniunt omnia. Miror et metuo de retardatione fasciculi Morgagnani adeo dudum missi. Si gen. Ottius vellet a suis amicis Bergamo resciscere quae causa morae sit, gratus agnoscerem officium.

Auctor operis quod nominasti est medicus nomine Thierry, quem valde laudat Popowitsch, parcus satis laudator et infrequens.

Hodie de salinis in Chamoseyre referetur ad CC viros. Ad 2700 libras annuas salis jam inventus et certus proventus adsurgit, et plura sperare licet. Utinam vel ex hoc eventu discerent nostri aliquam esse cognitionis naturae utilitatem. Sed misere haec omnia non negliguntur adeo quam ridentur ab ignaris. Non alia certe gens magis nasum, ut satyricus olim, rhinocerotis habet.

Vidi literas Lucerniensium Tugienses dehortantium.

Turpis historia est Sturleri, castellani in valle Simmia inferiori, qui aere et delictis gravis die 11. hujus mensis aufugit et hodie senatu movebitur.

Gratulor amici Tui praestantissimi Hagenbuchii novam dignitatem<sup>1)</sup>, et etiam gratulor felicem progressum pulcherrimi Tui operis.

Adansoni conspectum averem videre, et ipse subscripturus.

Nihil ego novi vidi, legi vero Buffonii T. VI., quo pauca animalia describuntur. Utilior est anatome leporis.

Vale praestantissime Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 16. Dec. 1756.

188.

(186).

Accepi, humanissime Gesnere, Adansonium<sup>2)</sup>, et remittam cum eis quae propediem ex Suecia adventant. Cum interim Rumpfii

1) 1756 wurde Hagenbuch Kanonikus und Professor der Theologie. ADB X, 348.

2) Histoire naturelle du Sénégal, des coquillages etc., Paris 1757. 4. BA II, 534.

Auctarium apud Te sit, et ego loco indigeam, quo de veneno Macassarico agitur, vellem Te rogatum ut eum locum ex indice mihi significares.

Alius est D. Thierry qui apud Falconetum<sup>1)</sup> dedit, literarum commercio mecum conjunctus, qui in Hispania cum Gallico legato aliquamdiu vixit, alius qui in Russia et Austria medicinam fecit et libelli auctor est quem nosti. De Societate Physica gratulor. Nostri praeter res civiles vix quidquam curant, quibus hiberno maxime tempore toti mergimur.

Totum consilium mittendarum in Germaniam legionum Helveticarum dispositum est, atque adeo hactenus confecta quae de ea re litigavimus cum Gallico legato. Ajunt prodiisse apud vos scriptum Ein Buch an die hisigen toggenburger, id leguisse averem.

Valde miror et metuo de fasciculo Morgagniano, et ad virum ill. de ea re scribam.

Adveniunt Tibi quae desiderasti Nova literaria Gottingensia. Ea ubi venerint mittam. Mea Physiologia lente procedit, plus spero, quando proximo vere officio ammanni me casuero(!), sive provincia aliqua mihi sorte cadat, sive omnino otio reddar. Aarburgae praefectura ob mite caelum et spem pulchrarum plantarum exoptata accideret. Thorberga lucrosior, tristis autem Carthusianorum cella est. Ad fontes salinos mense Julio redibo, Bernhardi M. si Deo videbitur condescendam, non absque spe boni fructus. Vix alia regio ea ditior mihi visa est et Alpina et calida. Inter plantas a Claretto, harum rerum ignaro, mihi missas duae aut tres sunt mihi non visae, in quas per otium inquiram.

Scripsit heri Senacus<sup>2)</sup> comes archiatrorum, se mihi Duverneyi pothuma destinare, quae propediem sit editurus, piscium puto anatomen<sup>3)</sup>. Idem consilium aperit de edendis iconibus in Bibl. Regia adservatis Robertianis<sup>4)</sup>, certe officinalibus. Quaerit an subscriptio possit obtineri. Pulcherrimarum figurarum meministi. Ramspeckius Adamsonio familiariter utitur et valde laudat. Propediem in patriam reddit.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 29. Dec. 1756.

Felices anni natales Tibi gratulor Tuisque.

1) Camille Falconet (1671—1762), Arzt in Paris. Gurlt-Hirsch II, 334.

2) Jean-Baptiste Sénac (1693—1770), Leibarzt Ludwigs XV. Gurlt-Hirsch V, 361.

3) 1761 wurden von J. E. Bertin, dem Sénac Duverneys Manuskripte übergeben hatte, 2 Bände Oeuvres anatomiques herausgegeben, BA I, 629.

4) Nicolas Robert (1610—1684), Maler und Radierer in Paris. Nagler, Künstler-Lexicon XIII, 237.

189.

(187).

Accepi heri, Gesnere humanissime, Rumpfii Auctarium et Hillium. Misi eodem die N. lit. Gottingensia et catalogum librorum, quorum aliquos Tibi placituros conjeci. Posses per Ludwigium curare aut per Christianum Andreae Grimmische Straße behm  
Hutmacher Fenn

qui meos curat.

Valetudinem reparatam spero. Frigus utique extremum fuit maxime die 4. et 5. Scriptum ad Toggios aliunde accepi, pro missis gratius sum. Valde molestum nuntium accepi, fasciculum Gottingam datum, in quo manuscripta pro N. lit. et literae pene innumerae fuerant, omnino periisse. Vix satis laboriosus sum, ut eodem labore bis velim fungi.

Totum consilium de mittendo milite Helveticō depositum est.

Advenerunt Suecia fere innumera, sed nondum ea evolvi, plurimae etiam disputationes Linnaeanae botanicae, Flora Palaeistica, Alpina etc.

Adamsonium remittere neglexi, fiet proxime.

Vale rectius Gesnere optime et me ut soles ama. Ber. die 8. Jan. 1757.

190.

(188).

Ad Tuas binas honoratiss. literas una respondeo, Gesnere clarissime, per summam otii inopiam, cras enim ad visitandam Academiam Lausannensem proficiscor, quam ajunt in disciplina et fide laborare<sup>1)</sup>. Accepi per hum. Ottium fasciculum Morgagnianum, accepi etiam ingentem cistam plantarum Americanarum, quam discipulus olim meus Bornemannus ex New Gottingen, Carolinae meridionalis oppido misit. Nondum licuit evolvere, cum publica negotia congestissima intercederent.

Quae senatus vester die 31. egit nunc ut spero effectu carebunt, cum mutatis ministris ad pacem regis animus inclinare videatur. Nos intestinis amarissimis turbis haec rerum conversio divinitus eripuit: nam et foedera nostra aliter sonant, et nostro militi interdictum erat, ne praeter regni tuitionem quidquam ageret. Quare oportuisset in migrantem militem animadvertere etc.

Die Veneris magnam post luctam orphanotrophii institutum a supremo senatu probatum est, unde magnam civium inferioris ordinis emendationem speramus. Magna cum resistentia bona causa vicit.

1) Haller reiste als Abgeordneter des Kleinen Rates mit dem Ratsherrn von Bonstetten.

Valetudinem Tuam confirmatumiri opto et spero. Ad optimum Engelium epistolam misi. Hodie nemine contradicente epistola Vestra ad Toggios approbata est.

Novellas Gottingenses puto a Zimmermanno suppletas esse.

Quando poteris carere, communicationem II. partis Musaei Gronoviani peto ut mittas. Suecica omnio mea Lausannam mecum porto, ut lectionem absolvam Tecumque possim communicare, plurima sunt, sed multa lingua vernacula scripta.

Ramspeckius propediem domi erit. A Pontedera etiam plantas habeo siccas.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 7. Febr. 1757.

191.

(189).

Redii his diebus Lausanna, Gesnere amicissime, quo certe loco amplissima seges est emendationibus. Mihi qui Gottingae cum viris laboris patientissimis vixi, haec desidia pene intolerabilis est. Aliquantum tamen ex itinere nostro boni proditurum spero<sup>1)</sup>.

Musaeum Ichthyologicum<sup>2)</sup> reperi, quod pro Tua humanitate communicasti. Id proxima septimana gratus remittam cum Allionii libro et literis ad Te datis. Ad Suecica legenda redeo. Sunt autem plurima. Linnaeana pretio minuuntur, uti vir egregius aliis obrutus negotiis minus atque minus discipulos adjuvat. Musaei primum tomum habeo, nolleisque Te magnifico opere fraudare.

Morinienses plantas expediam his diebus, sunt autem plurimae, forte duplices erunt. In literis certe stirpes promisit. Incredibile est, quantum minutorum sed necessariorum tamen negotiorum redux collecta repererim, eaque auxit Ithii mei ad Belgas et Anglos iter, qua oportunitate literas et fasciculos ad amicos dedi.

Stirpes, infandum dictu, nondum evolvi, quas misit Bornemannus. Totam vero cistam Tecum communicabo, quando evolvero. Sunt enim plurimae et rectissime conservatae.

Ex Anglia accepi Hilliani Herbarii magnam partem, cum ico-nibus fere exscriptis, Russelii Historiam Alepi, hanc egregiam, et alia. Italica etiam Morgagni evolvi. Ex Gallia tandem meum Commentariorum vol. accepi. Guettardi vero hypotheses non placent. Minime licet regiones in ejusmodi zonas dividere. Ubique ferrum provenit, et in montibus nostris ubique fere marmor, inter marmora passim schistus, ut ruber ille Lauterbrunnensis medius inter marmora. Sed etiam vicissimi montes Bactiacenses circa

1) S. F. Haag, Die Mission Albrecht Hallers nach Lausanne im Jahre 1757, Berner Taschenbuch 1900, 53—76.

2) S. Th. Gronovius, Musaeum Ichthyologicum, Lugd. Bat. 1754. Catalogus I. Abhandlungen d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen. Math.-phys. Kl. N. F. Bd. 11, 2. 18

Fondemens talcum copiosissimum (fragile) et nonnunquam crystalliforme flexible continent, Rupes vero (Roche) marmoris pulcherrimam fodinam. Ita nihil serii reperi in Buache montibus, adeo rudis hominis ut Alpes in oras Danubii septentrionales ponat.

Tu vero vale meque ut soles ama. Bernae die 12. Mart. 1757.

192.

(190).

Febre catarrhali his diebus laboravi et etiamnum labore. Ea causa fuit omisi I. tomi Musaei Ichthyologici, secundum, si quidem jubes, retinebo. Video aliqua esse ab Ammanno nostro.

Lausannae neminem eorum viventem reperi, quibuscum consuevimus a. 1728. Martinus, non indilgens homo, in stultitiae genus delapsus ex haemorrhagia periit, non ita dudum. D. Tissot<sup>1)</sup> elegantia morum et candore conspicuus est. Caeterum certe beate potius vivere student illi homines quam prodesse publice. Desecabimus tamen de feriis. Professorem constituimus matheseos, et alia tentabimus ni fallor non inutilia.

Allionii literas librumque nunc habes. Suecicos libellos finio, qui sunt infiniti, aliqui perelegantes. Russelii addam librum, quem legi cum voluptate.

Quid factum est de libro Patricii Brown, Natural history of Jamaica<sup>2)</sup>? Nolim molestus esse, sed aveo rescire an nostrae subscriptiones in effectum datae sunt. Liber enim jam a. 1756 prodiit et citatur a Gronovio. Si nihil profectum est, alia via curabo.

His diebus absoluto I. tomo Physiologiae plantas meas perquiram Bornemannianas, Pontederianas et Morinii. Mineras etiam alias ex ducatu Bipontino accepi.

Orchidem anthropophoram marem a Jussievo depictam adferet Cl. Ramspeck. Valde nunc desidero Alpinam illam calcare brevi, et monebo Cl. Cappeler, in quo spes mea posita est. Si omnia fallant, ad siccum exemplar erit pingenda.

Reditum exspecto filiae meae, responsatae Hallero actuario, ut variolas inoculem puellae, quas nunquam passa est; ipsa vero desiderat id auxilii. Saeviunt, discretae equidem, et plerosque etiam adultos invadunt. Nuper gravidam feminam ex conspicua familia, cum jam suffocaretur ex copia variolarum os, pharyngem et oeso-

1) Simon-André Tissot (1728—1797), berühmter Praktiker in Lausanne. Er wurde besonders durch seine Behandlung der Pocken bekannt. Gurlt-Hirsch V, 687.

2) Civil and natural history of Jamaica — of its natural productions, fossils, vegetables and animals. London 1756. BB II, 455.

phagum repletum, vapore illo Tuo aceti felicissime deglutiendi facultatem vocemque restitui, ut paulo post integre convaluerit.

Vale amicissime Gesnere meque ut soles ama. Bernae die 22. Mart. 1757.

Addidi literas pro Morinio, cuius veram inscriptionem ignoro. Oro ut eas acceleres, cum nonnullas Orchides ab eo petam.

Tria folia duplia sunt inter Gronoviana. Ea remittam.

193. (191).

Remitto Adansonium, cuius iter cum voluptate legi; concharum ordinem non valde probat Bertrandus<sup>1)</sup>, qui apud me coluit, neque nomina trivialia placent nihil sonantia. Meum exemplum adventat.

Suecica quando per otium legeris, remittes, si placet. Nova literaria inscribes rationibus meis, sum vero in aere Tuo.

Kaempfiana prodit. Doevert multum dubitans ob nimiam mollem omisi, typographus enim me ad certa volumina restrinxit. Wepferi<sup>2)</sup> dissertatione quam citas careo lecturus libenter.

Thermometrum secure remittam. Eo minime fuit opus. Nam filia bis inoculata novis filis de alio corpore sumtis tamen variolas non concepit. Alii nobiles pueri et puellae, etiam maturiores virgines iisdem filis et infectae sunt et morbo feliciter defunctae.

Ego hactenus valeo, ut tamen ob debilitatem pedum domo vix exeam nisi ad consistorii frequentationem, quod laboriosissimum pensum mihi nostri imposuerunt, lucri ut credo causa, cuius est aliquantulum.

In ovis et pullis haereo triplici usus, lente et bene res procedit. Simplicissimas esse cordis mutationes ostendam optimumque, Malpighium omnia aliena vidisse. Ossium etiam ex glutine generationem absque adhaesione periostei confirmabo. Ob lentorem Gottingensium Gallice edam.

Salinarum directoribus additus iter faciam in Julio et absolvam iter Veragricum s. historiae naturalis ejus regionis certe curiosissimae specimen, cum plantis, etiam nonnullis animalibus.

Multum metuebam ne Galli Hanoveranam ditionem vastarent, nunc aliquanto sum fortior post victorias Borussicas.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 19. Mai. 1757.

194. (192).

Mitto Tibi, Gesnere humanissime, N. Lit. nuper accepta. Adansonius mihi advenit.

1) Vielleicht Elias Bertrand (1713—1797), französischer Pfarrer in Bern.

2) Johann Jakob Wepfer (1620—1695), bedeutender Schaffhauser Arzt. Gurlt-Hirsch VI, 243.

Non crediderim aliquam cruris a brachio diversitatem alicujus momenti esse. Certe reliqui pueri cruribus venenum receperunt<sup>1)</sup>.

Nunc maxime accipio J. Bernoullii orationem de variolarum inoculatione<sup>2)</sup>, quam nondum legi.

Ita est, plurima certe pulchra in ovis vidi, simplicissimum modum quo cor in adultam fabricam mutatur, ossium ex glutine successivam compactionem, ac deinde certam membranam novam oculi. Eam, sed sub silentii fide, Tibi descriptam dabo. Nimis saepe in eo infelix fui, ut de iis quae bona fide inveneram, a nomine monitus, lites mihi motae sint.

Retina membrana adhaeret leniter ad processuum ciliarium circulum interiore, qua cum exteriori coit; duo enim sunt in avibus circuli. Ab ea adhaesione membrana quadruplo quam retina tenerior procedit ad lentem crystallinum ejusque capsulae inhaeret, tegens faciem posteriorem circuli ciliaris interioris, ad usque eam sedem ubi et ipse lenti crystallino adhaeret. Mirum quam familia haec sunt in fetus oculo, quando aceto confirmatus est. Arachnoideam suo tempore dicam. Vitreae incubit. Ad retinam pertinet, cuius est interius sed subtilissimum stratum, et cum qua manifesto continuatur.

Nescio ubi degat Ramspeckius, qui 3. et 4. Plumerianum fasciculum mihi a Burmanno destinatum retinet. Scripserant Parisiis eum domum redisse. Nihil ab eo exaudio.

Vereor Tecum ne calamitas aliqua in Hanoveranos incumbat. Deo ago gratias, qui his me malis et certe terroribus eripuit. Valeo commode intra 3 septimanas aditurus salinas et Sedunum usque iter versurus, non absque spe pulchrarum stirpium.

Vale vir praestantissime et me ut soles ama. Bernae die 10. Jun. 1757.

195.

(193).

Est amicorum aliquis, qui libros quorum catalogum mitto venales profert. Eum catalogum credo Tibi ante omnia mitti debere, Gesnere humanissime, si quid eorum placuerit.

1) Nämlich bei der Variolation. Bis zur Entdeckung der Kuhpockenimpfung durch Jenner (1798) wurde im 18. Jahrhundert häufig in der Weise eine Immunität erzeugt, daß man anlässlich einer leichten Epidemie Pockengift Gesunden einimpfte. Diese erkrankten leicht und wurden immun gegen weitere Ansteckung. S. A. C. Klebs, Die Variolation im 18. Jahrhundert, Gießen 1914.

2) Die erste Inokulation in Basel wurde am 29. Mai 1756 von Achilles Mieg vollzogen auf Antrieb der Brüder Daniel und Johannes Bernoulli. Der 12½-jährige Sohn des Letzteren hielt am 8. April 1757 seine Baccalaureus-Rede „De insitione variolarum“, abgedruckt in Epist. IV, 86 ff. Burckhardt 234 f.

In absolvendis ovis labore inque parte secunda, quae ab experimentis corollaria colligit, quae in parte 1. secundum has enumerantur. Multa vidi, sunt quae supersint videnda ab aliis, emendavi multa etiam in elegantissimo libello Malpighii<sup>1)</sup>.

Doleo quod litibus fatigaris. Me fere obruit consistorium. Duorum in septimana dierum partem abripit multo majorem. Sed etiam miserrima illa Jae<sup>2)</sup> cohortis causa me fatigat et disturbat. A Bergenio dudum non inaudivi.

Die 7. Julii iter meum adgredior, et ibi variis distractus alienissimis mandatis ad academiam Lausannensem reformandam, lites quasdam componendas, sylvas visitandas etc. Spero tamen non fore absque fructu, et si ullo modo fieri poterit, Valesiam ad Leucam usque invisam.

Caldani experimenta de insensibilitate nunc legi, valde certe pulchra et optima methodo scripta. Omnia cum meis convenient unico excepto cuius rationem non intelligo.

Limodori nunc iconem paravi et Corallorrhizae characterem satis singularem. In membranacea tenerima anthera biloculari quatuor certissime crystallini globuli habitant, quos ipse ad lentem vitream delineavi.

Retinam nunc in tenerioribus pullis dies 10. 11. 12. incubationis facillime ad usque lentem vitream deduxi. Eadem est graciliscaens quae novae membranae nomine a me dicta est. Res nova est, et etiam in adultis animalibus potest ostendi, quando oculus per pullorum anatomen exercitatus accedit. Nam etiam inadulta columba, quam in exiguo<sup>(?)</sup> spatio occideram, eam membranam, in mensum teneriorem suo loco vidi. Musculum etiam avium liquido perspexi, qui retinam retrahit, a sclerotica posterius ortum et posteriori pariter lentis parti infixum, qui vitreum corpus perfodit. Valde desiderarent ejusmodi musculum in humano oculo physiologi.

Novos libros nullos accepi, pessimosque de rebus Hanoveranis nuncios tristis audio<sup>3)</sup>. Interim etsi magna mihi 300 imp. annua jactura inde imminet, grates tamen divinae bonitati reddere oportet, quae me sorte a. 1753 his malis et certe terroribus eripuit inque tranquillum etsi pauperius litus exposuit. Etiam de Physiologia

1) De formatione pulli in ovo dissertatio epistolica. Londini 1673. BA I, 488.

2) Jenner war Oberst des Bernerregiments, das in französischen Diensten stand und gegen Geldern marschieren sollte.

3) S. Meiners, Geschichte und Beschreibung der Stadt Göttingen. Berlin 1801, 151 ff. Göttingen wurde von den Franzosen besetzt, die fünf Jahre dort blieben, zum großen Schaden der jungen Universität.

mea bibliopole litigant, et vereor ne inde aliqua in eo opere edendo mora nascatur.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bern. die 25. Jun.

196.

(194).

Priusquam discedam, Gesnere optime, visum est significare Tibi, libros quos misisti recte advenisse. Sincera vota concipio, ut hae Tuae molestiae finem inveniant et propinquum et laetum, utque Deus Tibi Tuos porro velit conservasse; Blaarerum solebam Tiguri venerari et numerare inter patronos.

Cras proficiscor, eodem die certe quo ante 29 annos magnum iter comites sumus adgressi, sed mire mutatus et septuaginta libris onustior. Conabor tamen pristina legere vestigia vel Leucam usque vel in montem S. Bernhardi, et dubius haereo quodnam horum itinerum preeferam; vellem preeferre id quod utilius videbitur. Sed etiam in Aquilegiensium altissimos montes erepere constitui feliciori nunc anni tempore. Una lapides venabor et testudines. Quae poterunt Tibi grata esse non neglexero. Utinam esset qui Rhaetiam nostros in usus adiret. Inter Curiam et Mauritium per M. Weissenstein pulcherrimas plantas Huberus reperit, sed eas ex defectu chartae emporeticae corruptissimas adulit, ut Astragalos, Orchidem illam desideratam, alias non potuerim adgnoscere.

Libros nondum accepi nisi Allionii Oryctographiam<sup>1)</sup> et alios quosdam Italicos, tum Belgicos.

Libros ex catalogo Tibi notavi.

Zinnius edidit catalogum horti Gottingensis<sup>2)</sup>, quem nondum accepi, nominibus Linnaeanis; pergit in suo ad enodandas Salvias studio.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 5. Jul. 1757.

197.

(195).

Utique, Gesnere optime, a 15 diebus ab itinere meo redii, summi Numinis providentia conservatus, cum in ponte Dransiae, prope Octodurum, praecipitem me proxime in torrentem currus dedisset, super trabem 6 pollices altam altera rota vectus, inque alterum latus periculosissime inclinatus.

Plantas retuli plurimas, novas hospites varias, Ruyschianam Borsch magna copia lectam, Ranunculum Alp. folio ovato cordato, albo peramplo flore, Millefolium luteum maxima copia lectum, Mille-

1) Carlo Allioni, Oryctographiae Pedemontanae Specimen. Par. 1757.

2) Catalogus plantarum horti Academicci et agri Gottingensis. Gott. 1756.

folium odoratum Alpino simile sed diversum, verius Genipi, Anemonen apii folio, Astragalum ochrolencum ramosum, quem eumdem in Comm. Gott. depictum dedi, alium forte Astragaloides nondum expeditum, Hieracium statices f., Hieracium aliud elegans e Piloselloidum classe, Agaricum de Larice, Tithymalum vermicosum verum, Asparagum spontaneum, alia plurima, quorum partem Tecum hoc autumno communicabo; unice copia nocuit, ut non perinde nitide potuerint conservari. Mineras paucas adtuli praeter salis gemmas, plurimum ex Fondemens — circa quae loca nullam ego plantam martitimam reperi, ne Salicorniam quidem; averem scire an certo repereris olim. Melampyrum odoratum etiam plurimum habeo, sed nondum floruerat, et Aquilegiam grandifloram monanthon, et Aconitum alind a Napello, et Jacobaeam laciniatam incavam.

Libros Norimbergenses recte accepi, adque Seligmanni petita respondeo. Icones quas sculptas dedit sunt pulcherrimae: utique vero fusius fere erit opus, quam quod emtores inveniat. Vix vero velim cum Schmiedelio novas suscipere inimicitias. Meyeri icones credo me abrupturum. Ad visum nihil pingitur. Nummos solutos dabo. Ramspeckius minis sui magistratus coactus domum reddit, varia neque optima cum fama<sup>1)</sup>.

Schreiberum nondum legi. Desunt ipsi experimenta propria.  
De Lysimachia gratias ago, exemplar peto ut communices.

Quis sit ille Hallerus penitus ignoro.

Etiam nobis terra tremuit eadem hora, et in curia satis violenter.

Novos libros non valde habeo praeter Italica quaedam et Nova Literaria aliqua Gottingensia, quae proxime mittam.

Aliquas disputationes promiseras, humanissime Gesnere: patere, cum negotia urgent, ut Tibi humanitatem Tuam in memoriam revocem.

Die 11. Aug. nuptiae fuerunt filiae meae Aemiliae, videntur faustae futurae, etsi aetas virginis matrimonio vix sufficit. Nata est 18. Dec. 1742.

Ex libris catalogi desiderarem pauculos:

p. 3 n. 11 Geiger Microcosmus<sup>2)</sup> 30 x

1) Ramspeck hatte von seinen akademischen Vorgesetzten einen Studienurlaub bekommen, den er weit überschritt. Er war in Holland und England gewesen, um sich in Anatomie und Botanik weiter auszubilden. S. Christ, Der Briefwechsel der Basler Botaniker .... mit Haller. Verhandl. der Naturforsch.-Ges. in Basel XXIX, 1918, 10 f.

2) Malachias Geiger, Microcosmus hypochondriacus s. de melancholia hypochondriaca. Monach. 1651. 4. BMP III, 23.

- 16 Baronii pleuropneumonia<sup>1)</sup> 1  
 n. 21 Fonseca de calculi remedio<sup>2)</sup> 30 x  
 9 n. 41 formes des bandes 20.

Opera mea lente procedunt, et nunc est mutanda domus. Physiologiae ultimum folium sub prelo est. Ante M. Octobrem vero vix venibit. Experimenta de ovo incubato sub prelum venerunt. Ultima sunt de pulcherrima structura vitelli, quam nuperis experimentis indagavi. Reliqua in plano sunt.

Vale, vir praestantissime, et me ut soles ama. Bern. die 13. Aug. 1757.

198.

(196).

Duas literas Tuas coram habeo Gesnere, clarissime. Pro libris gratiam habeo, nescio tamen quomodo irrepserit Baricellus<sup>3)</sup>. Alterius paginae credo esse, nam dudum est in bibliotheca mea. Si placet respicere catalogum, reperies alium procul dubio librum quem desidero: et ut emas rogo. Levis jactura erit in Baricello. Sum in aere Tuo, rationes compleo, meque ab eo aere solvo.

Kulmiam non adivi. Ab aliquot retro septimanis fregit animum meum aut labor aut calamitatum quae in me ingruerunt vis, aut taedia vitae aut vita sedentaria aut denique omnium conjuncta violentia. Vis digerendi somnusque me deserunt, aliquanto tamen mitius quam Gottingae. Incredibile verum est, quae taedia ab aliquot mensibus toleraverim. Quare ut solet fieri, vehementer id iter cum mihi displiceret, et cum experimenta aliqua facienda essent, domi mansi, anno sequente iter facturus. Rev. Hagenbuchius nihil Kulmiae videbit, sed Augusto m., anno 1758, si vitam Deus largiter fecerit, tempus indicabo quo ipse cum fossoribus adero, et aliqua tunc procul dubio digna labore detegemus.

Litem finitam esse gaudeo. Disturbant res hujusmodi pacem animi et spinae modo incident. Mihi asperrima fuerunt toleranda, cum nuptias filiae gener detrectaret. Tandem cum plures contra se stare videret, duxit pueram, et nunc omnia sic satis composita sunt. Amisi interim 300 et ultra imperialium redditum Gottingensem cum sumtibus et laboribus meis: amitto nunc redditus uxoris meae, cum etiam in Thuringia vectigalia solvere teneatur. Adversarios literarios passim video insurgere. In re publica molior

1) De peripneumonia anno 1633 et aliis temporibus Flaminiam aliasque regiones populariter infestante atque a nemine hactenus observata. Forli 1636. 4. BMP II, 615.

2) De calculorum remediis, qui in renibus et vesica gignuntur. Rom 1586.

3) BB I, 422. BA I, 328. BMP II, 367.

plurima, promoveo paucissima, otium viresque insumo mihi frustra et patriae.

Dissertationem Wepferi remittam. De Lysimachia grates ago. Filio quae mandasti refero. Venitne Brownius?

Parisiis accepi Comm. Chir. T. III. et iconem Orchidis anthropophorae marij Jussievanam, satis certe malam. Video esse de genere illius cui cucullus hiat, forte cum acutioribus crusculis. Vivam non spero me visurum, siccam venor in aqua explicaturus.

Vale et me porro ut soles ama. Bern. die 17. Sept. 1757.

199.

(197).

Misi Tibi, Gesnere optime, thermometrum per D. Runge, quem credidi diligenter curaturum, gratiasque ago pro communicatione. Oblitus sum addere Baricellum, alias remittam. Nummos una curabo, et gaudeo advenire Brownium. Quis sit guineae vobiscum valor velis significare (nunc video non esse necesse, sed valor aurei novi vestri est sciendus).

Lite Te solutum esse gaudeo. Mihi patientia summa cum pari constantia fuit exercenda, nunc gener filiam amat et redamatur, omniaque laeta successerunt, quibus jacturae compensantur, quas facio quotidianas. Nam etiam nonnulla quae uxor Jena solebat accipere, videntur his certe temporibus periisse.

Ad Fungos uti dixi redii, ut sit causa cur discurrat, alioqui nunquam de mensa surrecturus. Eos aliquando dabit Seligmannus. In Anglia libri aliqui ex Osbornii catalogo mihi redemti sunt pretio grandi, neque ex optimis.

Absoluto Commentario de formato corde nunc sum in plantis distribuendis et Commentario de formatione ossium, quam certe opinione reperi simpliciorem. Ita v. g. increscunt ob innumera vasa recta, quae per ossis partem alveolatam incedunt inque cartilaginem recta tendunt atque adeo singulo pulsu suum etiam os longius reddunt. Utinam pictorem habuisse, qui haec omnia delineasset, vasaque maxime per pulchra cartilaginem.

Vanissimo cum homine Lamurio liticula quaedam mihi nata est: Galli etiam experimentis nolunt fidem dare, sed dant alii, dantque in Gallia chirurgi, quibus major cum corpore humano consuetudo est.

Schreiberi Almagestum<sup>1)</sup> legi, proprii praeter ordinem nihil, sed is certe bonus liberque brevis est et utilis, nisi quod haeret

---

1) J. Friedrich Schreiber, Almagesti medici Pars I. Lipsiae 1757. 4. BA II, 219.

nimir ad Boerhaavianas theorias. Gottingae silent, ajunt res tristi esse in statu, et auditoria frumento repleta esse, bibliothecam aegris. Plura novit Rungius quem vidisti.

Experimentum factum est in sale absque igne exhalatione parando, uti suadeo. Optime successit. Itaque novus ut puto labor mihi natus est, quo tota salis coquendi ratio mutabitur, non sine insigni rei publicae compendio. Nam et 1500,00 l. supra prius parabuntur in annum, et ligni fiet compendium, et sal ut plenior spiritu acido ita melior erit. Haec cura faciet ut Rupium praefecturam sim ambiturus, etsi minoris sit redditus, sed dandum est hoc patriae.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 27. Sept. 1757.

200.

(198).

Misi Tibi heri per equitem Sinto Nova Literaria Gottingensia cum Baricello et disputatione Wepferiana, quam possideo. Nummos in rationes meas quaeso refer et adde alios 2 flor. 15 x, quos solves pro Gaumio et Gmelino pharmacopoeo Tubingensi<sup>1)</sup>, pharmacopoeo Vestrati Lavater. Una nomen meum diluam.

Die Veneris currui tradam plantas siccas, ut non displiceant optaturus. Est etiam una et altera nova, Hieracium tomentosum Dill. et plantula foliis ellipticis glabris, calyce quasi Saxifragiae, nulli tamen similis mihi notarum, flore nullo. Eas proxima aestate curabo.

Physiogiam retinet misera faciei meae pictura minime elegans nedum correcta; mittam tria exemplaria, quando mea obtinuero, quartumque pro Morgagno. Lentissime imprimitur Commentarium de cordis formatione in pullo. Alterum Commentarium de ossium formatione interrupit necessitas aliquot experimentorum quae hac aestate frigida sunt difficillima, spero tamen me etiam hoc nodo me soluturum. Succedent experimenta de irritabilibus et sensibilibus aliena, cum mea responsione ad observationes adversariorum.

Norimberga accepi Bajeri Oryctographiae supplementum<sup>1)</sup>, Milleri tabulas exspecto, quarum certe nimium pretium est. Hilmium etiam nunc plenum habebo, deproperatum opus, neque satis plantarum gnari auctoris.

Ebroudunensis praefectura vacat per mortem praefecti. Eam pauci desiderant, quos inter sum et ipse.

1) Christian Gottlieb Gmelin, Arzt und Apotheker in Tübingen (1707 – 1759). Gurlt-Hirsch II, 579.

2) Joh. Jac. Baier, Oryctographia Norica. Norimb. 1712. Das Supplementum erschien 1730.

Audio du Hamelium edidisse Physicam arborum<sup>1)</sup> et quasi physiologiam. Deseruit errorem de cortice (et perioste) nutritante arborem (et ossa), mihique hactenus refutandi fecit compendium. Mirum est quam multum in osteogenia reliquum fecerint anatomici. Verum sero nimis et ad proiecta ossa scrutanda accesserunt. Arteriarum totum negotium est, non periosteum.

Desiderat valde Gagnebinus mea poemata. Si placeret cum aliis misisse Gallicam versionem Vestrarem, gratum faceres.

Vale et me ut soles ama, humanissime Gesnere. Bernae die 15. Oct. 1757.

201.

(199).

Reperio, Gesnere humanissime, mea Tecum stare hoc modo:

Debebam	Reddidi
---------	---------

	gl.	x.			
die 18. Sept. 1756	24	N. Lit. anni 1756			
		1757		10.	
Oct. Meijer	2	45	für 2 exempl. phys=		
Nov. Seide	8	30	siologie	7. 20	
1757 April. an Ludwig	4	20		17. 20	
Sept. Meijers Squelete	4	30			
Bücher	1	52			
Patrik Brown	19	38			
Bücher	1	11			
für Gmelin	2	15			
	<hr/> 45	<hr/> 25			

Quare deboe Tibi 28 fl. 5 x., quos cum exemplaribus Physiologiae continuo curabo.

Gratum est quod nonnullae plantae arriserunt.

Ramspeckius Bernae est, eum de rebus Tuis monui, multa Tibi mittet semina. Averem videre Manetti opusculum et aliquando habere.

Ebroudunum mediocris est praefectura, tamen cum aetas hactenus urgeat et cura liberorum, et locus sit peramoenus, tentabo sortem. Erit autem 8 annorum haec rusticatio, cum duobus annis ante tempus praefectus Thormannus<sup>2)</sup> sedem vacuam fecerit.

1) De la physique des arbres, de l'anatomie des plantes et de l'oeconomie végétale, avec une dissertation sur l'utilité des méthodes de botanique. Paris 1758. 4. 2 vol. BB II, 217.

2) Oberstlieutenant Albrecht Thormann (1708—1757). Leu, Suppl. VI, 35.

Gallinam habeo, et ova pergo sequi ob ossium nonnulla dubia: interim pergit edi libellus de cordis formatione. Gottingensia quiescunt, neque nummi pro Commentariis numerantur; adfirmant tamen unice differri neque amitti eum laborem. Brown minus quam in Anglia solent nitide prodiit, charta maxime debili. Multas vero plantas videtur ad sua genera reducere, quae absque charactere oberrabant, hactenus utilis. Meas Bornemannianas ordinavi exceptis fere 30 speciebus, quae non florent neque tamen penitus desperatae sunt.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 10. Nov. 1757.

202.

(200).

Nummos Tibi servabo aut Engelio.

Gratus adgnosco Manettiani opusculi donum. Si tamen cares, lectum remitto. Seligmannus primam Orchidem misit, nempe Orchidastrum. Non penitus satisfecit.

Brownii incommoda valde vitia sunt in citandis tabulis, unde fit ut harum plantarum minus periti vix possint nonnullas extricare. Latina etiam lingua male utitur, sed plurima habet bona et nova.

Utinam de Bornemannianis plantis dudum significasses. Nunc distributae sunt in classes et collo adglutinantur. Rariores tamen et mihi parum notas in fasciculo reliqui, mittam si placet cum Physiologiae exemplaribus. Gratum erit si nomina adscripseris. Vix duae plantae bis occurruunt.

Sors iterum gratissima omnium praefectura me exclusit.

Novae turbae mihi natae sunt ex Bousqueti iniqua temeritate, qui recusat nunc, nulla fere causa data, edere experimenta mea de formatione ossium deque irritabilitate nova: illa pene absoluta fuerant. Alios puto libros habet, a quibus plus sperat.

Oederi tardissima epistola advenit, ex Norvegia data. Multas, inquit, plantas habet et Laponicas fere omnes, tum Scoticas et aliquas Americanas. Destinat magnum opus florae Danicae<sup>1)</sup> 1200 tabularum, decem fasciculis edendum. Misit tabulas, quas non accepi, unica excepta icona Lycopodii puto novi Serpylli folio.

Credo parum a Ramspeckio habiturum Te stirpium, etsi colligit multas, Teque facit plurimi. Sed ajunt inordinatum degere vitae genus. Utinam meliora. Ego quidem in nostris studium meum urgebo.

Osbornianos aliquos libros carissimo quidem pretio accepi, Italos equidem aliquos. Si desiderares Commentaria Bononiensis,

1) Flora Danica. Hafniae 1761 ff. BB II, 507.

possim Tibi tomos 2 novos, quos duplices habeo, offerre, libentissime donaturus.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 25. Nov. 1757.

203.

(101).

Mitto, humanissime Gesnere, chirographam Engelii, cui 18 flor. 5 x. reddidi aureis nummis, aureo Lud. nov. 9 flor. 9 bz. Vestris computato. Libros misi die Jovis signo notatos H. G. atinam prius accepissem epistolam, addidissem Suecica aliqua.

Nulla Tibi ex Millero jactura fiet. Eum emit Keithius Neocomi gubernator. Nulla alia praefectura ad historiam naturalem Rupensi aptior est, otium summum, fecunda planities, montes si absque me foret novi, vicinae Alpes Penninae, vicina Valesia, in qua hoc anno seriem rupium adii, quae fere duas leucas tenet a Branson ad Soillon aequa fecundas, ac castrum quidem Tourbillon. Reditus vero valde mediocres sunt.

Accepi ex Anglia multa folia Milleri, Bircheani operis T. III. IIII., Transactiones novas, finem Herbarii Hilliani, Lucam de aquis<sup>1)</sup>, quem laudant. Hillius opus Tui simile edit, sistema nempe botanicum cum tabulis. Multum autem abest a Tua fide et sollertia. Parisiis Malouin<sup>2)</sup> quocum literarum commercium nunc alo exstincto Reaumurio, <scripsit> volumen 1753 Comm. nondum prodiisse.

Sensim erepit in lucem Commentarium de pullo. Duo nunc bibliopola volumina fecit, addo secundo experimenta mea de respiratione, abjecta omni litis memoria. Sequentur quae in ossibus vidi.

Bertrandus Turinensis<sup>3)</sup> mea experimenta in tendinibus confirmavit, tum chirurgus Verna<sup>4)</sup>, alia D. Fontana<sup>5)</sup>, quae in dura matre nuper Miegius.

Ecce schedulam Hartmanni: negat Te sibi plura debere, quare remisit mihi sex florenos 15 x., quos adeo Tibi cum proximis libris mittam, ne porro nostrae rationes turbentur.

Vale praestantissime Gesnere, me ut soles ama. Bern. die 10. Dec. 1757.

1) Charles Lucas, An essay on waters, in three parts. London 1756.

2) Paul Jacques Malouin (1701—1778), Professor der Medizin am Collège Royale und der Chemie am Jardin du roi. Gurlt-Hirsch IV, 110.

3) Giovanni Ambrogio Maria Bertrandi (1723—1765), Chirurg und Anatom in Turin. Gurlt-Hirsch I, 434.

4) Lettera al Ill. S. Haller. Turin 1758. S. BA II, 548.

5) Felice Fontana (1720—1805), Naturforscher und Physiolog in Pisa. Gurlt-Hirsch II, 400. BA II, 565.

204.

(203).

Quotidie exspectata mitto Tibi Nova literaria, Gesnere clarissime, cum 2 trimestribus Suecicorum Transactionum, quibus duo genera nova describuntur. Addidi la connaissance des terres, si forte aliquo esset usu.

Physiologiam non penitus Tibi displicuisse gratus audio, nisi Te Tua summa humanitas seducit. Utinam tranquillior aliqua obtingat praefectura, qua possim tanto me onere expedire, quantum quidem in hoc inmenso opere est. Bernae enim magis atque magis obvolver laboribus alienissimi argumenti, et nunc integro anno cogor Physiologiam deserere ad expediendos minores eos Commentarios, quorum equidem in Physiologia opportunus erit usus.

Plantas etiam alias nonnullas ex Bornemann collectione mittam, arboreas maxime. Ego quidem nunquam antea stirpes Americanas possedi, neque fateor valde in legendis libris ad eas adtendi animum, ut nostratis unice indulgerem. Nunc tamen averem nosse quae misit olim meus discipulus. Zinnius ex horto nonnullas non malas misit. Reditum non valde urgeo.

Miror nondum advenisse alterum tomum Commentariorum Bononiensium, quem dudum exspecto. Nummos 3 imp. et 21 bz. per mercatorem Tibi curavi, quibus quantum video nomen meum diluitur. Si erro, quaequo redargue.

Male ageretur cum re herbaria, si propter Hillii opus Tuum desereres: is enim homo stirpes certe parum habet perspectas. Sed etiam Milleri aliquanto melioris botanici icones potius pictoribus quam botanicis susceptae videntur. Aveo videre Adansonianas.

Post nuperas literas accepi et ipse Germanica aliqua, tum literas Josephi Benevenuti Luccensis medici<sup>1)</sup>, qui Tua usus humanitate libellos suos misit, ut ipse quidem scribit. Si per Mennettium respondere possem, gratum fieret.

Nunc non mitto Trans. Suecicas. Video enim Te annum 1756 jam legisse, anno vero 1757 botanica non continentur, nisi experimenta in Caryophyllata nutante facta, quae aliquas ejus ad haemorrhagias vires confirmant.

Vale et me ut soles ama, Gesnere humanissime. Bern. die 11. Januar. 1758.

205.

(204).

Legi his diebus Millerum, cuius 180 tabulas mecum habeo. Habet aliqua genera nova, Dayenam, Basteriam. In Commentariis

<sup>1)</sup> Guiseppe Benevenuti, geb. 1728, Chirurg in Lucca. Gurlt-Hirsch I, 399.

Edinburgensibus exstat Gardenia, Hyperico affinis. Caeterum Millerus nimis sequitur varietates. Accepi etiam Burmanni fasc. VI. et Wachendorfiam et initium Helleborinarum, quarum proprium dat fasciculum, plantasque nonnullas siccas.

Valde obruor ab aliquo retro tempore laboribus ad rem publicam pertinentibus, et necesse erit me fugere, nisi ab omnibus studiis velim exulare. Serpunt in lucem mea de formatione pulli experimenta. In ordinandis vero iis nunc labore quae pertinent ad irritabilitatem et sensibilitatem.

Poteris ut videbitur plantas meas retinere. Gramina pulchriora sunt, quae nunc redigo, multum vero spero a longiori itinere Valesiaco, quod destino in aestatem proximam.

Cum episcopo Basileensi de rebus Biennensibus, et Novaevillae satis feliciter transactum est. Nunc exspectamus a Toggenburgenibus, quos ajunt hodie die 16. Febr. senatum suum convocasse. In Brendelii locum spes est suffectum iri Zinnium meum, a cuius industria anatome plurima potest exspectare bona<sup>1)</sup>.

Hic diarium Italicum edetur<sup>2)</sup>, ego quidem, ut vides ex programmate addito, nominor inter directores, hactenus id nomen meritus, quod ad optionem librorum censendorum suffragium sum additurus. Si qui Vestratium cupiunt eo diario uti, credo a postis habere posse.

Semina addo a Burmanno accepta. Eorum medianam partem Tibi quaeso serva, aliqua mitte ad Zinnium, unice currui publico daturus, vel si placet remitte. Opto ut bene succedant, sicca aliqua specimina vicissim grato animo accepturus, neque enim mihi hortus est, aut sumtus necessarii suppetunt.

Hac ipsa hora disco ex literis Wargentini<sup>3)</sup>, Rolandri iter Surinamense prodire et Loeflingi posthuma.

Desiderium suum significavit Benevenutus, et ad eum literas dedi. Gottingam etiam scripsi, ut commendarem.

Filius maximas gratias agit, adque Scheuchzerum et Cramerum scribet. Non valde probo hoc sterile studii genus. Sed pejora acturae juventuti voluptates non illicitae non debent invideri.

Vale meque ut soles ama, humanissime Gesnere. Bernae 16. Febr. 1758.

1) Brendel war am 17. Januar 1758 gestorben. Zinn starb ein Jahr später am 6. April 1759. Pütter I, 57, 60.

2) Estratto della litteratura Europea. Bern und Yverdon 1758—1766, 36 Bde.

3) Peter Wilhelm Wargentin (1717—1783), schwedischer Astronom. Nouv. Biogr. Gén. XLVI, 551.

206.

(205).

Mitto Tibi cras Edimburgenses Transactiones et duo volumina itinerum Suecicorum, quibus pro Tua opportunitate uteris, Gesnere humanissime. Fasciculum Norimbergensem avidus exspecto.

Göttingensium res feliciter procedere non crediderim.

Ob transmissam dissertationem gratias ago quas debo.

Benevenuti duo folia remitte cum libris. Video collectionem esse.

Cras sorte datur Lenzburgum, primaria certe praefectura. Cum septem aliis ero inter candidatos, et cum eodem numero Königsfeldam, lautius potius beneficium, ambibo die 30. Mart. Nostri omnia a casu, aut a providentia rectius pendere.

Mea opuscula in lucem erepunt. In adornandis nunc vursor opusculis communicatis ad nova de irritabilitate et sensibilitate experimenta pertinentibus. Una credo quatuor volumina experimentorum prodibunt et tria disputationum. Inde ad Physiogiam revertor, non facile discessurus. Plus otii haec experimenta abstulerunt quam speraveram. Sed Bernae plurimum otium perit, respublica, amici, cognati, sibi quique partem nostri sumunt.

Perierunt mihi plantae ex Surinamia venientes, a pirata Anglo spoliatae. Pulchras, sed mirifice siccatas accepi a Burmanno.

Scripsine proditurum Rolandri iter Surinamicum et postuma Loeflingii?

Plurimum vale, Gesnere dulcissime, meque ut soles ama. Bernae die 1. Mart.

Excusa ridicule parcam chartam. Quando scripta fuerat epistola, reperi alterum folium alteri nomini inscriptum fuisse.

207.

(206).

Tandem die 30. Aprilis, Gesnere suavissime, cum nemo praeter me sortem tentaret, Rupensis praefectura s. salinarum directio mihi data est. Habeo mediocres redditus, sed plurimum otii, spem de patria bene merendi, stirpium regionem fecundissimam, opportunitatem ad absolvendam Physiogiam summam, cum qua novae editionis Enumerationis stirpium laborem conjungam.

Proxime mitto Tibi et Trewio et Morgagno Disputationes practicas et meos Commentarios novos s. experimenta in pullis incubatis facta. Cum gravior sit fasciculus, currui imponetur. Lites literariae nauseosissimae bonis et veri cupidis non semper possunt evitari, ut invitus didici: nocuit tamen potissimum diariorum cura.

Ex Pensylvania rediit D. Regnier Viviacensis, adtulit mihi aliqua porcellanamque terram, operaque inde fictilia molitur.

Nova literaria vix habeo, silent Germani, alioquin laboriosissimi

mortalium. Parisina Acta anni 1753 redditia sunt, cum Herissantii<sup>1)</sup> descriptione laryngis. In Italia Caldanus meus novam apologiam meorum inventorum edit Venetiis, ego vero responsionem universalem absolvi et paulatim adorno les mémoires communiqués, quibus amicorum experimenta continentur. Allionii Plantis Nicentibus credo Te non carere.

Gener meus<sup>2)</sup> Nydauiae prefecturam adeptus est, generi alterius pater<sup>3)</sup> Bibersteinii, sed filius repulsam passus est, cum substitutionem in cancellariam peteret. Molestissime factum est ut aegrotarem, cum de ea re decideretur. Rheumatismus erat spasmodusque verus nonnullorum musculorum dorsi.

Adjicio fasciculo Tuo quartum tomum Bononiensium Actorum, qui Tibi debetur. Gottinga nihil accepi quidquam. Vale Gesnere amplissime et me ut soles ama. Bern. die 4. April. 1758.

208.

(207).

His diebus, Gesnere praeclarissime, proficiscetur Tigurum grandis fasciculus illustri Tuō nomini inscriptus. In eo erit fasciculus destinatus Ill. Trewio, quem Ammanno curabis, alias pro Morgagno qui jussit tradi

Henrico Meyer

ut mittat Bergamum ad Felicem Weber.

Tertius pro Ludwigo ad Thomannum ut nosti.

Tui vero sunt tres tomī Disp., 3 tomī Experimentorum et Commentarii Bononienses, Allionum pro opportunitate Tua leges. Göttinga nihil advenit.

Ita est, summa erit opportunitas Rupe, ut Physiologiam absolvam et in plantis augendis procedam. Ipsa regio rarioribus abundat, etiam fecundior est vicina Valesia, adibo etiam Alpes Penninas variosque montes a nemine frequentatos. Laboris parum, quod possit pomeridianis horis confici. Spes perficienda rationis parandi salis multa, publica adeo et privata commoda unita. Paulo longius nos dividi doleo, continebit tamen nos eadem Helvetia, et literae biduo perforuntur: filius aut gener fasciculos curabit.

Nos ob literas regum Borussiae et Angliae bis hac septimana convenimus, neque unquam absque insigni acrimonia res ista vol-

1) François-David Hérisson, Sur les organes de la voix des quadrupèdes et de celle des oiseaux.

2) Franz Ludwig Jenner, 1758 Landvogt von Nidau.

3) Samuel Haller sen., 1758 Landvogt von Biberstein.

vitur. Literaria nulla accepi, spero vero propediem varia a Pujato<sup>1)</sup>, Pasta, Oedero, haec aveo videre.

Ad Physiogiam redii; cum vero mense Majo Kulmiam adhuc sim aditurus, gratissimum foret, si in hac vicinia Tuo congressu liceret frui. Badam statu die venirem, si Tibi placuerit conditio, arcem vetustam aditurus aut alia loca herbifera.

Vale clarissime Gesnere et me ut soles ama. Bern. die 22. April. 1758.

209.

(545, 9/10).

Serius aliquanto profectus est currus, qui libros fert Tibi destinatos, absque Tuo sumtu reddendos, quod plurima aliena adjecerim. De die quo Badae conveniemus gratulor quidem mihi, eumque mature indicabo, erit mense Majo, neque Lenzburgi longum iter erit. Optarem titulos habere Physiologiae belgicae et Ductus thoracici, ut possim per mercatores arcessere. Ego ad meam Physiogiam redii ejusque libros de motu sanguinis pulsuque recolo. Sunt autem hic passim aliqua, quibus ob desuetudinem non possum me expedire: 1. Datis particulis gravibus inter leviores fluentibus, eritne ex communi omnibus impertita celeritate majus momentum particularum gravium? 2. Ubinam reperiuntur demonstrationes theorematum, quae facillima videntur nempe in fluente, secundum axin celeriorem motum esse lentiorum, si ab axi linea directionis diverget, hinc in ramos angulos obliquos facientes semper eo lentius liquidum influere quo major est angulus? Tu qui minus a mathesi recessisti, velis quaeso hic mihi idoneos fontes indicare. Etiam si enim ista in corpore animato forte non perinde valent, non possunt tamen omnino praetermitti.

Experimentum evaporantis de sole muriae etiam hoc verno nondum calente caelo egregie successit. Intra sex dies duo pollices muriae exhalarunt et salem perfectissimum reliquerunt. Itaque varios gradus saturationis (die lotse der Sole) et altitudinis muriae quaerimus, ut in minimo subsistamus et saturationis et profunditatis gradu, atque adeo in alveis ut licebit minimis res porro geratur. De hoc toto invento aliisque ad augendos redditus inventis praesidiis commentarium paulatim conficere cogito.

Hactenus 19. et 21. die mensis ad literas duorum regum responsum est, ut neminem offendamus. Concilio etiam secretiori

---

1) Giuseppe Antonio Pujati (1701—1760), Professor in Padua. Gurlt-Hirsch IV, 638.

mandatum, ut porro quid agendum circumspiciant. Multorum odiorum hoc negotium mihi causa fuit.

Accepi finem libri Compleat body of gardening, qui opponitur Millero. Hillerus nunc subscriptis nomen, dictio fere poetica est, plurimae figurae malae et saepe exscriptae aut varietatum.

210.

(208).

Etsi hoc unicum mei itineris pretium reporto quod Te dulcem et veterem amicum Badae sim conventurus, summam interim difficultatem reperio certam diem figendi, qua possim Badae esse. Ignoro verum laborem, qui me Kulmiae exspectat, poterit longior esse, poterit brevior. Vellem vitare dies festos et jejunia. Quare omnibus pensitatis credidi me posse Badae esse in diversorio nescio quo die solis qui erit 28. Inde die 29. aliquas plantulas poterimus legere et sobrio prandio excipi, post quod ego quidem Aroviam me recepero. Diversorium in exigua civitate facile invenitur; qui primus advenerit, poterit id sibi sumere, in quo sperabit melius excipi, alter facile disset.

Thomanni nomen est J. Caspar: qui habet reddere Wilhelmo Lange Lipsiensi. Nurnbergensia advenerunt.

Tigurum, quantumcumque cuperem, excurrere non audeo. Currus et annona publice suppeditantur, neque certe liceret majores sumtus mihi soli utiles gratosque facere. Quare humanitatem nob. uxoris cogor deprecari.

Nova vix suppetunt. In miserrimo labore catalogi librorum pene submergor, quem non possum detrectare. Post paucas septimanas redeo Rupem et Lausannam, hic finem impositurus prioris anni operi.

Si quid mutabitur in consilio meo, Kulmia ipse rescripsero, aut publico tabellario aut proprio usurus nuntio.

Tu interim, care amice, vale et me ut soles ama. Bern. die 22. Maj. 1758.

211.

(209).

Saturni die, Gesnere clarissime, proficiscor Lausannam et Rupem: absens ero diebus fere quindecim. Interim uxor die Jovis 15. filium peperit<sup>1)</sup>, post periculosam haemorrhagiam, cum placenta soluta discessisset. Nunc satis tolerabiliter degit.

Kulmiam missus est egregius juvenis D. Schmidt<sup>2)</sup>, qui omnia

1) Albrecht Haller, am 15. Juni 1758 geboren. Leu, Suppl. III, 29.

2) Friedrich Samuel Schmidt, geb. 1737 in Bern; studierte Theologie, widmete sich aber ganz den Altertumswissenschaften. Leu XVI, 385; Suppl. V, 391.

accurate investigabit. Nihil ex nundinis vidi. Pro Gesnero gratias ago, nollem autem hos homines vere poeticos, suas cum virtutes velint amari, aliorum despicerent bona.

Ego quotidie satis et nimium negotiosus, proficio tamen nihil. Rupe ut spero ero denique meus. Experimenta communicata de irritabilitate sub prelum data sunt, lente autem imprimentur, lente serpit Physiologia.

Video Michelottum<sup>1)</sup> et Sauvagium corporum diversae densitatis ab uno siphone expulsorum vires facere aequales, hinc velocitatem in ratione subduplicata densitatum, sed an certe vires sunt aequales? annon quolibet elementum suam sibi partem virium sumit, suntque plura elementa in corpore densiori? Mihi videtur hanc rem debere confectam esse, neque tamen invenio neque experimenta video, nisi quae docent procul dubio densiorum corporum itinera longiora esse, si ex eodem v. g. sclopo projeceris, et pariter rectiora.

Ex Germania nihil accepi, amici res meas non valde curant diligenter.

Benevenutus scripsit, nuntiat se quaedam misisse.

Vale et me ut soles ama, Gesnere suavissime. Bern. die 20. Jun. 1758.

212.

(210).

Ex itinere redii, suavissime Gesnere. Id pluvium fuit neque absque meae valtudinis aliquo detimento. Refero tamen plantas alias rariores, Adonidem perennem, Caryophyllatam rariorem f. tripartitis, Aretiam subhirsutam, Marrubiastrum, nunc primum in patria lectum, Hieracii tomentosi, Ranunculi Parnassiae f. et Centaurii Enulae f. vim et alias non pessimas. Cras mitto N. Lit. Gottingensia. Doleo autem quod importunus petere cogor, ut remittas interim Hasselquistium, Osbekium, quos oportet proxime in catalogum referre et ornare numeris. Eos denuo Tibi si opus est commendavero, quando erunt numeris signati. Pauciores libros mecum Rupem fero, plures relinquo Ithio qui curam capiet. Inde necessitas numerorum, ut possim quibus opus habuero, ab eo petere.

Accepi diarium Toussainti<sup>2)</sup>, Pujati de victu febricitantium<sup>3)</sup>,

1) Pietro Antonio Michelotti, gelehrter Iatrophysiker, gest. 1740 in Venedig. Gurlt-Hirsch IV, 235.

2) Toussaint et Gautier, Observations périodiques sur la physique et l'histoire naturelle. 1756 ff. 4. BA II, 516.

3) Padua 1758. 4.

Pastam de menstruis<sup>1)</sup>, Junkeri Chemiam<sup>2)</sup> Gall. ed., Lamberti Bibliothecam physicam<sup>3)</sup>, alia bene multa, nihil autem valde botanici argumenti. Quae in Diario Neocomensi de Genipi leguntur, imperfecta sunt. Dantur vero duae Alpinae Achilleae simillimae, quarum altera vulgo nota est, sed odore caret, altera odoratissima est verumque Genipi. Promiscui in iisdem nascuntur montibus. Tu vero vale, vir amplissime, et me ut soles ama.

Bernae Helv. die 13. Jul. 1758.

213.

(211).

Remitto Tibi, optime Gesnere, ne forte desideres, notas aliquas in Allionii exemplari heri repertas, quas videris Tibi fecisse.

Recte etiam reliqui libri advenerunt. Etiam filia die lunae puerum peperit. Morisonum ad Gagnebinium misi. Nimis fere celeriter abiit Stokarus. Si vellet Leidae disputationes medicas anni 1758 pro me colligere, gratam faceret rem. Wielandi tragœdia<sup>4)</sup> utique laudes meretur. Schmidtius scribit se Kulmiae pavimentum tessellatum reperisse, et nescio quae Romanae supplémentilis instrumenta.

Inter libros meos nuperos sunt etiam Gautierii vel Toussaint Observations périodiques, in quibus varia fidem vix inventura continentur monstra, equus marinus, sirena vera, caeterum pisces ex Plumerii posthumis. Non magni momenti diarium est et carissime venit. Nuper ob plantas excurri, etsi incredibilis fere vis pluviae cadit. Praeter duos Scirpos nihil memorabile reperi. Engelium rure adii, qui Te plurimum salutat.

Nihil habeo quod praeterea mereatur Tibi indicari. Vale, care amice, meque ut soles ama. Bern. die 22. Jul. 1758.

214.

(212).

Vix habeo chartae satis, ut hanc Tibi conficiam epistolam. Accepi quae amici Belgae miserunt, Gaubium<sup>5)</sup> imprimis, cuius quas scribit voculae nescio quid habent invidiosi. Nunquam cupivi irri-

1) Andrea Pasta, Discorso medico-chirurgico intorno al flusso di sangue dell' utero delle donne gravide. Bergamo 1750, 1757.

2) Joh. Junker, Chemiae conspectus theoretico-practicus, Halle 1730. „Editio II. Gallice versa et a D. de Machy edita est Paris. anno 1757. 12. sex vol.“ BB II, 230.

3) Bibliothèque de physique et d'histoire naturelle. Paris 1758. 12. 5 vol. BB II, 400.

4) Lady Johanna Gray oder der Triumph der Religion.

5) H. D. Gaub, Institutiones pathologiae. Leidae 1758. 8. BA II, 167.

tabilem naturam in praxin invehere, inque vasis minoribus et pathologia febrili eam facultatem certe revocavi ad unicas musculares fibras. Eichsfeldii catalogum remitto.

Inter plantas rediit nuper ex Alpibus vera Cassida alp. magno flore, de qua dubitabam, deinde duae Alsinae junceo folio diversae, quarum grandifloram solam in Enumeratione habeo. Caeterum in labore conpingendarum sarcinarum detineor, die Jovis urbem reflecturus bonis utinam auspiciis. Vale et me ut soles ama. Bern. die 26. Sept. 1758.

Cominus cum respexisse, catalogum Eichsfeldii non reperio, sed Rupe remittam. Iterum vale.

---